



MORIBUS ANTIQUIS.
IOH. MICHAELIS
Dilherri
P. & P.P.
Apparatus
Philologiæ.
Sive
IUSTI LIPSIJ
Orthographia,
Secundum jam
edita,
cum auctario,
et opusculis
aliis.
NORIMBERGÆ
Impensis Iohannis Tauberi.

[illegible]

[illegible]

JOHANNIS MI-CHAELIS DILHERRI
P. & P. P.

APPARATUS PHILOLOGIÆ.

Sive

JUSTI LIPSII ORTHOGRAPHIA

ſecundùm jam edita,
cum auctario, & opuſculis aliis.







NORIMBERGÆ,
Impenſis JOHANNIS TAUBERI.

Typis WOLF. EBERH. FELSECKERI,
A. S. cIↃ IↃ c LX.

Ma-



Magnifico

Amplissimis, Consultissimis, perquam Reverendis, Excellentissimis, Clarissimis,

Dnn. CANCELLARIO, Regiminis & Consistorii Hennebergici DIRECTORIBUS & ADSESSORIBUS meritissimis, Gravissimis.

Dominis & Fautoribus meis demissè suspiciendis & sincerè amandis.



JOHANNES MICHAEL Dilherr Henneberg. P. L. C. Profess. Publ.

S. D.

SI QVIS, Viri Magni, lumina Patriæ dulcissimæ fulgidissima, Paradisum cum Scholis velit con-

tendere; quin orationem & prolixam & venustam sit contexturus, nihil dubito. Mihi hisce in pagellis, & hoc vestri alloquio, summa liceat rerum legere vestigia.

Artificem Paradisi cùm vestigamus, non Belgam aliquem Clusium, vel hominum quemquam invenimus; sed Deum, cujus potentia maxima, bonitas optima, sapientia admiranda. Suis hic manibus hortum hunc tanta adornavit pulcritudine, jucunditate, amœnitate, fertilitate, securitate, ut nihil scriptum, pictum nihil habeamus, unde satis æstimare possimus. Quisquiliæ sint & ne hilum quidem, horti Adonidis delicatissimi, Junonis & Alcinoi celebra-

lebratiſsimi; ſi cum eo velimus comparare. Incredibilis hic erat florum fragrantiſſimorum, hinc aurum, illinc gemmas & argentum mentientium ubertas, frugum copia omnigenarum ampliſsima: hortus enim, ipſe ampliſſimus, gratioſa cœli clementia ſerenabatur, fluminibus quatuor ſaluberrimis irrigabatur, & jucunda plagæ Orientalis, ad quam ſitum fuiſſe autumant, tranquillitate reficiebatur. Cætera horti divini ornamenta dicere non auſim. Dicam autem de Scholis. Ecquis earum fundator & architectus? ecquis conditor & (*Svetonii verbo utar*) proauctor? maximus eſt deorum omnium JEHOVAH, mundi,

hominum, & quicquid illi bonitatis & perfectionis nacti sunt, creator & largitor. Cùm enim vineam sibi cœlestem & ingentem, Ecclesiam, consevisset, & arescentem illam Filii sanguine humectasset ac reparasset: quoddam ipsi seminarium adjungebat, unde novæ possent palmites depromi, inque locum emarcidarum, aridarum & emortuarum surrogari.

Inter hosce palmites, flosculi conspiciuntur amabiles, herbæ delectabiles, & ad omnem vitam utibiles. Hic videas MOLY saluberrimum, lurida Circes aconita propulsans; AGNUM CASTUM, temperantiæ; PANACÆAM, pietatis; VIOLAS, humilitatis;

tis; LILIA, candoris; TUSAI, modestiæ; TULIPAM, adorationis; ROREM SOLIS, constantiæ; CORALIUM, peregrinationis; HELIOTROPIUM, conversionis; BETONICAM benignitatis; ACANTHUM patientiæ; TRIFOLIUM prudentię; ROSAS, beatitatis; imò PRIMULAS VERIS æternitatis, & plurima alia,

quæ non nostra satis celebrabit
langvida lingva,
nec potis est calamus sat celebrare levis.

In hortulis quidem Scholasticis aliquando reperiuntur lappæque, tribulique & steriles avenæ: BUGLOSSUM, rusticitatis; CYNOGLOSSUM, oblatrationis; OPIUM, somnolen-

hominum, & quicquid illi bonitatis & perfectiònis nacti ſunt, creator & largitor. Cùm enim vineam ſibi cœleſtem & ingentem, Eccleſiam, conſeviſſet, & areſcentem illam Filii ſanguine humectaſſet ac reparaſſet: quoddam ipſi ſeminarium adjungebat, unde novæ poſſent palmites depromi, inque locum emarcidarum, aridarum & emortuarum ſurrogari.

Inter hoſce palmites, floſculi conſpiciuntur amabiles, herbæ delectabiles, & ad omnem vitam utibiles. Hic videas MOLY ſaluberrimum, lurida Circes aconita propulſans; AGNUM CASTUM, temperantiæ; PANACÆAM, pietatis; VIOLAS, humilitatis;

tis; LILIA, candoris; TUSAI, modestiæ; TULIPAM, adorationis; ROREM SOLIS, constantiæ; CORALIUM, peregrinationis; HELIOTROPIUM, conversionis; BETONICAM benignitatis; ACANTHUM patientiæ; TRIFOLIUM prudentię; ROSAS, beatitatis; imò PRIMULAS VERIS æternitatis, & plurima alia,

quæ non nostra satis celebrabit
langvida lingva,
nec potis est calamus sat celebrare levis.

In hortulis quidem Scholasticis aliquando reperiuntur lappæque, tribulique & steriles avenæ: BUGLOSSUM, rusticitatis; CYNOGLOSSUM, oblatrationis; OPIUM, somnolen-

tiæ; URTICA, asperitatis; NOLI ME TANGERE, impatientiæ; OPHIOGLOSSUM, calumniæ; VEPRES, perniciei SALICES, ebrietatis &c. quæ dominari tamen non possunt, nec altas agere radices. A diligentibus præceptorib⁹, quasi prudentissimis hortulanis, evelluntur, eradicantur, averruncantur, & è pomeriis ejiciuntur. Securitatem quid memorem, aut munimentum solidissimum? Excubant hic CHERUBIM, vigilant SERAPHIM: non Atlantis filiæ, quæ mala aurea custodire finguntur. Ministrant myriades Angelorum innumerabiles; quæ insultus diabolicos labefactant & convellunt, ut ne portæ quidem prævaleant infe-

ſerorum. Manant ex horto Scholaſtico flumina quatuor limpidiſsima, PHILOSOPHIA, quæ cœlum & ſtellas, aërem & aquam, terras & hominem, θαῦμα θαυμάτων, & miraculum miraculorum omnium maximum, conſiderat; MEDICINA, quæ valetudinem vel integram conſervat, vel reparat amiſſam; JURISPRUDENTIA, quâ ambigua cauſarum fata dirimunt, ſuæque defenſionis viribus in rebus ſæpè publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, nec minus humano generi provident, quàm ſi præliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent; THEOLOGIA, quæ, glorioſæ vocis confiſa munimine, divina myſteria populo enunciat,

ſimplicioribus viam monſtrat ſalutis æternæ.

Præterea Paradiſus noſter litterarius itidem ad Orientem eſt locatus: ortum amat ætatis, & annos molles; non occaſum ſenectutis. Ut enim *canis vetulus loris adſveſit difficilimè:* ita ætas etiam ingraveſcens, litterarum ſe cultui ægrè dicabit. Contrà verò in vere hominum juvenili, herbas quaſcunque facilè plantabimus *& artes, ut gratum ollæ recenti odorem, jucundiſſimè animo inſtillabimus.*

Sed quid de horti habitatore, Adamo, quem Deus in eum introduxit? Sedulus ille erat dominus; navus & prudens erat; herbarum, imò & animalium naturam habebat explo-

ploratam, eademque, pro singulorum aptitudine, tractabat, ac nomina ipsis imponebat. Eodem modo & *Schola absq; Præceptore, est hortus sine cultore, cithara sine plectro, testudo sine chordis*; eo autem instructa, fructus progignit infinitos; modò & ipse non tàm rei suæ familiaris, quàm publicæ sit studiosus, non tàm marsupii desideret complementum, quàm Eruditionis apud illos incrementum, quos sanctissima Trinitas, & honorabilis ipsi Magistratus commendarunt. Discat ex Adamo Præceptor, acutissima quadam mentis indagine, discipulorum introspicere ingenia, *nec eodem calceamento calceet omnes*, aut, instar imperiti Medici,

uno collyrio oculos curet omnium. Tristes erigat, remissos excitet, audaces terreat, diligentes recreet, *cum Platone Aristoteli frenum, Xenocrati addat calcaria:* singulos ut filios excipiat. Erubescant hîc ORBILII, qui austeritati æternæ addicti, Scholam, Spiritus S. nolunt esse officinam, sed Perilli carnificinam, & suo se egredi officio autumant, nisi adspectu circumeant atrociori, quàm qui *ex antro prodiere Trophonino.* Confundantur hîc, qui supina quadam negligentia, discentium profectus sufflaminant & impediunt; qui veteres nacti schedas, aut ignoto quodam commentatore beati, prolixis miseros dictatis fatigant: ut scilicet detecta dein-

ceps

ceps fraude, habeant, quod thuri consecrent vel scombris. Cur non semipagani isti, illos ipsos commentatores adolescentibus commendant, quos volvant & revolvant; ipsi verò, quos inde progressus ephebi perceperint, explorant, necessaria tantùm addunt, & usum, usum inquam, indesinenter inculcant?

Hæc omnia, Viri Magni, cùm haud perfunctoriè intelligatis: nihil vos magis habet solicitos, quàm ut Scholas vestras floridissimas, cumprimis *Gymnasium Silusiacum, per potiores Germaniæ Academias celebratissimum*, sustentetis, augeatis, amplificetis, & gubernatoribus non ineptis, ac prioribus, viris certè clarissimis, non im-

paribus exornetis. Nec, si vel longè lateque disquirere opus sit, laboris vos pœniteat. Indiciis tandem haud obscuris, etiam mihi, at quantillo! innuistis, tanto vos honore me haud indignum æstimare, quem laudato Gymnasio præficeretis. Favorem hunc vestrum incredibilem, mente agnovi gratissima, & Patriæ velificari commodis, optavi ardentissimè! Sed Fata, quibus refragari non licet, aliud mihi saxum dedere volvendum, & valetudo etiam, quam Natura mihi adsignavit admodùm imbecillem, optatis meis non subscripsit.

Attamen ut de grato meo animo, & adfectu in

juventutem veſtram pro-penſiſsimo, nihil dubite-tis; APPARATUM hunc PHILOLOGICUM, *quem partim ex non editis, &, notis ac obſervationibus meis, illuſtratis; partim ex editis ab aliis; partim ex diſſertationibus & commentatiunculis meis*, bono juventutis, horis ſubſecivis & ſubſecundariis concinnavi; Vobis, Patres & Paſtores Patriæ vigilantiſsimi, dare, dicare, dedicare viſum fuit. Vos libellum tenuem benigna fronte accipite, & ſolito me meosq; amore com-

ple-

plecti perseverate. Ita æternùm vobis vestrisque, faveat Omnipotentia! Scribebam Jenæ, mense Martio, anni 1632.







SYLLABUS AUCTORUM,

IN HOC APPARATU PHILOLOGICO LAUDATORUM.

A.

Abdias Babylonius.
Acidalius.
Adamantius, Martyr.
Gall. Ælius.
Afranius.
Agellius.
Agrætius.
R. Agricola.
Alciatus.
Alcimus Avitus.
Alex: ab Alexandro.
Alstedius.
Sixt. Amama.
Ambrosius.
Ammianus.
Ammianus Marcellinus.
Anastasius.
Antonini itinerar.
Appuleius.
Aratus.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Arnobius Jun.
Ant. Augustinus.

Au-

SYLLABUS

Auguſtinus.
Avienus.
Auſonius.

B.

Herm. Barbarus.
C. Barthius.
Baudius.
Becmannus.
V. Beda.
P. Bembus.
Beſoldus.
Boëthius.
S. Boſius.
Buchananus.
Guil. Budæus.

C.

Cæcilius Vindex.
J. Cæſar.
Cæſellius.
Cajus. JC.
Calpurnius Flaccus.
Calepinus.
Calvus.
Camerarius.
Marc. Capella.
Caper.
Carrio.
Cariſius.
Phil. Carolus.
Caſaubonus.
Caſsiodorus.
Joſ. Caſtalio.
Caſtilio.
Catholicum.
Cato.
Catullus.
Celſus.
Cenſorinus.
Cicero.
Claudianus.
Columella.
Cornelius Nep.
Annejus Cornutus.
Corvinus.
P. Crinitus.
Cruſius.
Cyprianus.

D.

Demetrius Phaleræus.

Dio-

Diomedes.
Æl.Donatus.
Marc.Donatus.
E.
Elverus.
M.Empiricus.
Ennius.
Erasmus.
Eucherius.
Eusebius.
Eutyches.
F.
G. Fabricius.
Festus.
Firmicus.
Fragmenta Annal.Ennii.
Fragmenta Varronis & Cat.
Fragmenta Poëtar.Ver.
Frischlinus.
Frontinus.
C.Fronto.
G.
Ob.Gifanius.
Glossarium Papiæ.
Glossarium Vetus.
Goclenius.
Godofredus.
Gregorius M.
J.Grialus.
J. Gruterus.
Gryphius.
H.
D.Hæschelius.
Dan.Heinsius.
Hieronymus.
Higinus.
Hilarius.
Hirtius.
Horatius.
Conr. Hornejus.
Horstius.
J.
Josephus.
Jornandes.
Isidorus.
Adr. Junius.
Juvenalis.

K, P.Kir-

Ser-

Servius.
Sesellius.
Severus Sulpiti⁹.
Sextus Rufus.
Sextus Platonicus.
Sidonius.
Car. Sigonius.
Statius.
Henr. Stephan⁹.
Ælius Stilo.
Strabo.
J. VV. Stuckius,
Svetonius.
Suidas.
Symmachus.

T.

Tacitus.
Taubmannus.
Terentius.
Tertullianus.
Tibullus.
Tiraquellus.
Torrentinus.
Ioh. Tortelius.
Turnebus.
Tzezes.

V. U.

Valerius Flaccus.
Valerius Max.
Valerianus.
Valla.
Varro.
Vegetius.
Vellejus.
Verrius Flaccus.
Aurel. Victor.
Victorinus.
Virgilius.
Vitruvius.
Ulpianus.
Ungepaur.

VV.

VVeizius.
Ioh. à VVouvver.



De



De Orthographiâ, eáque vel certâ, vel incertâ, Justi Lipsii, Iscanii, Tractatus.

ORTHOGRAPHIAM, *quàm rectè scribendi scientiam nominare licet, inter rudimenta, & quasi incunabula Eloquentiæ, non frustra* Quintilianus *collocavit.* Nemo *enim* rectè dicere potest, qui nésciat scribere. Omnis *autem* recta scribendi ratio ab antiquis petenda est: atq; id judicandum optimum, quod Ciceronis, Varronis, & Augusti ætate, à doctis receptum fuit.

Intricata res, & de qua, inter ipsos antiquos, interdum non conve-

nisse, M. Ciceronis Orator ad Brutum: & Valerii Messallæ libri indicant, quos non de verbis modò singulis, sed etiam literis edidit. Exstiterunt, Cassiodori ætate, doctissimorum hominum de Orthographiâ scripta, Anneji Cornuti, Velii Longii, Curtii Valeriani, Papyriani, Adamantii Martyris, Eutychetis, Cæsellii & Cæcilii Vindicis: quæ omnia ab eodem Cassidoro in compendium contracta manuscripta vidimus: eorumq́ auctoritate hoc loco plerúmque utemur.

Agam autem hac methodo: ut, quoniam, inter ipsos antiquos Orthographos, quædam dissensio est, totam hanc tractationem in Orthographiam certam, & ambiguam, distribuam. Certam *appello eam, quæ consentienti testimonio antiquitatis, probatur: à qua discedere nemo, sine imperitiæ cul-*

culpa, potest. Ambiguam, *quæ inter ipsos doctos controvertitur: & in qua cuiq; integrum est, alterutram scripturam, citra reprehensionem, sequi.*

In certa Orthographia sunt ista.

CAPUT I.

De Orthographia certa.

A.

ANULUS] *unico N. Etymologia, & libri: deducitur ab ano.*

Josephus Scalig. in V. Varronis de L. L. scribit nonnulla, quæ huc cumprimis faciunt: *Nonnulli putant, annum à Græco ἔνος deduci: quos sanè primum arguit scriptura, quòd veteribus uno N. scribebatur: deinde significatio; quòd propriè significat circulum: unde diminutivum anulus.* Hæc ille. Erit itaq; anulus, quasi parvus,

- - *qui in se sua per vestigia volvitur, anus.*

AUCTOR & AUCTORITAS]

 sem-

ſemper cum C. & T. ſine aſpiratio-ne. Feſtus, & omnis antiquitas.

Aldus Manutius ab antiquo au-quo deducit. *Eſt verò*, ut hoc, pro-pter frequentem vocis huj⁹ abuſum, ex Aldi parente notetur, *auctor, cujus auctoritate & ſententiâ aliquid fit.* Cic. *Agraria lex vehementer agitabatur, auctore Pompejo: qua nihil populare ha-bebat, præter auctorem. Scriptor autem alicujus libri, quàm Latinè auctor dica-tur, viderint ii, qui non dubitanter uſur-pant. Equidem nec Ciceronem, nec ejus æquales, aut omninò quenquam, ſtante Rep. ita locutum exiſtimo. Et quoniam cujus vel conſilio, vel tacita auctoritate ad agendum impellimur, is quaſi origo quædam & agendi princi-pium eſt: inde factum, ut auctor nobili-tatis appelletur, à quo nobilitatis initia manârunt: auctor hujus ſermonis, à quo primùm fluxit hic ſermo: auctor meæ ſalutis, cujus operâ ſalutem ade-ptus ſum. Auctor etiam vocatur is: cu-jus teſtimonio, ut aliquid credamus, ad-ducimur.* Cic: *nec verò pauci ſunt au-*

ctores,

ctores: Cn. Flavium, scribam, fastos protulisse. Addo illud: auctorem dici, non qui hortatur, ne quid fiat: sed qui hortatur ut fiat. Itaq; auctor & dissuasor, Cicero opponit. Sic Paulus. Notat insuper incomparabilis C. Barthius in Advers: *Auctorem etiam dici eum, qui rei alicujus sit gnarus, doctus, & in ea auctoritatem quampiam habeat: quod ex Septimio deducit, qui ita: Deinde consilium, de dividendâ præda, ceptum, Nestore, & Idomeneo, in decernendo optimis auctoribus.*

AQVILLIUS] *Duplici L. Lapides & nummi. (Ii sunt integri & incorrupti testes.)*

Si etymologia spectetur, absque socio L. scribendum. Vel enim à colore aquilo, hoc est, fusco & subnigro, juxta Festum; vel ab aquila derivatur; ut contendit Marcellus Donatus: *Aquilorum*, inquiens, *Romanam familiam potiùs ab aquilis; quàm ab aquilo colore denominatam, existimamus: quicquid in oppositum senserit Alex. ab Alexandro lib. 1. dierum Genia-*

lium cap. 9. nisi & colorem aquilum, ab aquila deductum dicamus, quam coloris subnigri esse norunt omnes, qui pennas contemplati sunt p. 1002. Dilucidationũ. Consentit summus Barthius, qui c. 4. l. 40. Adv. locum laudat ex Cic. ad Atticum, qui talis: *Aquilium non arbitramur, qui denegat & juravit morbum.* Ubi ipse addit: *est Aquilius Jureconsultus ille, quem in Topicis collegam sibi ac familiarem nominat, summorum honorum alioqui potitum.*

Quod Lipsius addit, *Lapides & nummos esse integros & incorruptos testes*: illud Josephus Castalio cap. 9. Decad. 1. in Criticos, uberiûs declarat, & contra eos defendere satagit, qui ex monumentis multa volunt elicere absurda, per vetus illud, quod ante annos benè multos Coloniæ erectum fuisse dicitur, monumentum producentes:

Sancte Christophore! qui fers JESU Christe, per magnum fluvius; nec aqua tan-

tangit culus. Sed hoc non est mirum: quia tu es magnum virum.

Ejusmodi monumentum quis, nisi vervecum è patria, sequatur? inquiunt: & addunt, plurima hujus generis feminisq; reperiri: & rarò etiam ipsa concordare. Ita autem Castalio: *Neq; est, quod quisquam dicat erratum esse in monumentis fabrile. Fieri enim posset, ut faber mendum in scalpendo admisisset: si, in uno atq; altero exemplari, tantùm, ita legeretur. Sed quando nihil ferè vetera monumenta variant, & mirus est hac in re consensus; facilè adducor, ut credam; non temere id, sed consultò factum esse: quod usu, qui loquendi & scribendi arbiter est, jam receptum invaluerit.* Hæc ille. Si quis verò ex Quintiliano l. I. c. 12. objiciat: *Orthographiam servire consuetudini; ideoq; sæpè mutatam esse*: eámq; ob causam ad antiqua monumenta neminem facilè posse provocare. Quid? Si quis stupendum afferat Barthium, qui ita infit, postquam

Gellii Maximi Epitaphium, Phœbo Liberto positum, produxit:

Hic situs est quondam, Gelli pars maxima, Phœbus:
Adfectus omnes possidet iste lapis.
Vix consummavit septem quinquennia lustri.
Oscula serventem nec tenuêre animam.

Mira, inquiens, *locutio est: Vix consummavit quinquennia septem lustri. Scribendum verò, lustris. Et tamen mirifica est locutio, hausta è communi sermone, quales plurimæ in suavissimis illis locutionibus sunt: quarum ideò exempla nec exstãt in libris, nec exigenda sunt: quoniam cujusq; sermonis lingua, peculiaria in loquendo habet, quæ scripta minimè omnium deceant. Sic in alio Epigrammate P. Laertius Brocchus.*

Bonis probata, invisa sum à nulla, proba
Fui, parens senibus, huic autem obsequens.

In alio Julia Firmia est:

Quæ commune torum servavit casta mariti.

Quæ cum aliis innumerabilibus sunt idiotismorum vernaculorum. Sic, cùm minùs eruditi, aut libris legendis non exercitati, aliquando scriberent; mira monstra generabant. Ut: cubiculus, balneus, & alia talia exstant in itineratione Burdegalensi, quam Petrus non Pitheus, sed Phœnix Antiquitatis vindicum, publicavit. Cùm constet tamen: eum libellum vetustissimum esse. Nequaquam ergò rectè faciunt, qui lapidum monumentorúmq; prisci ævi eam rationem habent: ut Scriptoribus exactis, & famæ suæ periculo scripta edentibus, eorum phrasin exæquent. Eadem causa & Orthographiæ est. Falsò enim, an verè lapidi incisum aliquid fuerit, nunquam, Orthographiæ peccantis gratiâ, incisiones illas è silicibus malleo & celte litteratis exsculptas esse, verisimile est: ut quidem Sergius noster (Polensis) *loquitur. Itaq; pro idiotarum & opificum (ut Livio hoc genus vocatur) captu inscriptiones absolutæ,*

nobis regulas scribendi non dabunt. Non enim suspicari poterant eorum temporum litterati, ad talem confusionem ventura esse omnia: alioqui melius utique nostris & studiis & scriptionibus consuluissent. Barbariore etiam avo distinctio inter rusticum scholasticúmque sermonem maxima erat: ut dudum & docti viri, & nos notavimus. Quibus permistis, illa facies plerorúmq; monachalium compendiorum enata est. l 4. c. 17. Durus nodus, & cui vix Alexander solvendo.

Quoquo enim te vertas: habebis, qui se offensos conquerantur. Quorsum enim ad ea toties provocarent litterati? An potiùs audiendus Johannes Nemius, apud Sylvam ducis olim Gymnasiarcha, qui ita: *Illam scribendi rationem imitabimur, quam doctissimus quisq; usurpavit. Et ubi variâsse docti videbuntur: ibi plurium consuetudinem sequemur. Ridiculi sunt, qui Scripturam in cariosa charta, aut in saxo vetustate semeso, aut in nomismate pervetusto repertam, statim*

vocant

vocarit in exemplum scribendi. Siquidem Orthographiæ ratio, nec eodem seculo, fuit eadem apud omnes. Et quid illiteratius est Latomis, Sculptoribus, Monetariis, ac Vitriariis? Quia benè præscripta reddunt ferè depravata. Sciendum quoque est: quosdam insulsè plus tribuere typographiæ, vel consuetudini; quam certissimæ rationi: cùm tamen " ad neutram illarum refugiendum sit; " nisi deficiente potiore vocis alicujus " ratione: quæ ferè petitur ab Etymolo- " giâ, aut à rectâ ratione p. 11. & 12. Ea- " dem cum hisce ultimis habet disertissimus Andvariorum M. Andreas Corvinus Pr. Oratoriæ in inclyta Lips. Univers. celeberrimus, Dubio 7. Fascic. nono, auspicatiorum Philippicarum, quę ab omnibus ut legantur Philologiæ cultoribus, dignissima. Verba ejus hæc sunt: *Quæ est Latinorum, tàm ab aliis Latinis, quàm à Græcis deductorum, scribendi ratio?* R. *Ea, quæ deductum sui primi naturā: etiam in scribendo, sequitur. Ita ut nec literas plures* (radicales) *assumat, nec pau-*

 ciores;

tiores; nec alias aliarum loco usurpet; quàm in primo reperiuntur: utrobique exceptis iis, in quibus Euphoniæ litatur. Explanat hæc enucleatiùs Dub. 4. Fasc.3. Nec dissentit Christianus Becmannus, homo in litterarum cultu non ignobilis, cap.14. Manuduct. ad L.L. qui: *Voces,* ait, *ut rectiùs exarentur, faciunt manuscripta monumenta, usus eruditorum, origo. Manuscriptis, si consentiant, si à literatis sint, multum debèmus fidei: ut & monumentis antiquis: minus tamen, quàm illis. Nam qui ista sculpserunt; plerúmq; fuêre rudes & plebei. Igitur usui eruditorum aliquando, præ illis dissentientibus, plus credimus: plurimum originationi: quâ, si & manuscripta & tabulæ assonent, nihil certius.* Dices: Quorsum igitur hæc Nostri Orthographia, ubi plurimum tribuitur manuscriptis & monumentis: si originatio utramq; facit paginam? R. ex Cl. Corvino l. proximè laudato: *Sunt in qualibet Lingua quædam prima, ipsa immota & immutabilia, quæq; velut principia rerum*

rerum naturalium μήτε ἐξ ἀλλήλων, μήτε ἐξ ἄλλων 1. Phyſ. 5. *Ita ut humani aliquid pati videantur illi, qui omnium vocabulorum vel aſſignant, vel dari poſſe putant etyma, eóq; ipſo proceſſum illum in infinitum, à quo natura abhorret, in arte Grammaticâ ſtabilire conantur. Quæ namq; hoc modo certitudo linguæ? quæ conceptuum firmitas? quod & adipiſcendi, & retinendi adminiculum? Nimirum Siſyphos nos faciunt, quibus labor actus in orbem redeat; Ixionas, qui perpetuò erroris vertigine rotemur. Ita namq; vocabula oſtiatim agunt, rogatum de ſuis natalibus: donec tandem, ſpiritu deficientia, ſe tamen vulgò quæſita, credere cogantur planiſſimè. Quòd namq; huic vocabulo aſſignarunt modò primum; ejus rurſus aliud; & hujus iterum aliud: ſi evolvas; primum dari deprehendis. Sic Iſidoro turbo eſt à terra, terra à terendo: ferrum à farre; far à frango: aliis frango à* φράγω. Hæc ſ. vera ſunt, uti ſunt certiſsimè: ad primorum illorum Ortographiam

nonnihil facient manuscripta, & monumenta: ut, si in primitivo aliquo vocabulo consensum animadvertamus antiquitatis; de recta scriptione non magnoperè ambigamus.

Deinde manuscriptorum, & monumentorum perlustratio multum confert ad studium antiquitatis illustrandum: atq; ea, ut cum Germanorum ornamento æterno C. Barthio c. 14. l. 33. Adv. loquamur, ævorum successiones melius capiuntur: quod Critici, & ipsorum filii, satis jam superq; demonstrârunt.

Unicus autem tibi forte scrupulus in animo residet, quem optes exemtum: cùm Obertus Gifanius, tàm severiorum, quàm amœniorum literarum Sol lucidissimus, in quâdam Epistola hæc nobis suggerat: *Consueverunt Latini quædam ab aliis sumta nomina ita conformare, & consignare: ut originem ipsi agnosci no[illegible], suaq; prorsus esse, ut existimentur. Silva nunc scribunt omnes, & [illegible] quæ tamen à Græcis [illegible] Grammatici*

tici

tici veteres testantur. Eâdem ergò ratione lacrima, clipeus, inclitus, scribenda existimo; consentientibus etiam libris vetustis omnibus: & interdum inclutus, lacruma: prout in descriptis manu membranis exstabit. Nam inter I. & V. literas, mira antiquis fuit variantia, mutuáq; in alterius locum migratio &c.

Qui enim, inquias, Orthographia ex etymologia peterit desumi; si vocabula, ex poregrina lingua adscita, unam atque alteram literam haud parùm sæpè immutant? Resp. Etsi afferri possunt plura, quæ calculum vix candidum aliquibus modò prolatis adjiciant: unicum tamen hoc libet cognoscere: cur non eâdem ratione scribamus Himen, Himenæus, Hidria, Hipocaustum, Hipotheca, Hipocrita, Litrum, Mirtus, Lira, Liceum, ejecto ὑψιλόν; Forsan hoc pacto inopiam Linguæ, si per I Latinum exararemus, celare possemus. Audiatur potius, quod scribit Cl. Barthius: *Græcorum non absq; ratione in talibus* (dubiis) *ductum sequimur; cùm in Latinâ*

tinâ scriptione, summa ut plurimùm sit inconstantia & obscuritas: vel ea sola de causa, quòd pronunciatio ejus linguæ tot modis sit corrupta, quot ferè gentes Romanum imperium discerpserunt, & linguam sua miscuerunt. Nec eam quidem pronunciationem nos habere nunc constat, quam proximi Romano ævo majores nostri secuti sunt: nedum ipsorum Latinitatis procerum; quam toto cœlo aliam fuisse innumeris locis Ciceronis, Quintiliani, Servii, Gellii, Prisciani, Terentiani, & Grammaticorum aliorum, docere liceat: si ei rei quis nunc operam det. l. 53. c. 2. Plura suppeditabit inculpatè curioso noster Corvinus Dub. 9. Fascic. 9. auspicat. Philipp.

ARCESSO] *Non accerso. Priscianus lib. 1. de accident. litterarum: Veteres, inquit, R. pro D. ponebant. Unde ostenditur: rectè arcesso dici, ab arcio verbo: quod nunc accio dicitur, id est, evoco, advoco.*

D. poni pro R. affirmat Diomedes etiam, & V. Beda, dicens: *D litera propin-*

pinqua est septem his consonantibus: c. g. l p. r. s. t. ut: accipe, aggrega, alliga, appete, arripe, asside, attende. Et Scaliger c. 22. de causis LL.

D. posuimus pro R. Illi Arvena, nos Advena: illi Arvocati, nos Advocati. Etsi dissimulandum non est, quod subjicit nobis Agrætius: *accersit, qui vocat: arcessit, qui accusat.* Quod ipse etiam S. Isidorus inculcat l. 1. de differentiis verborum n. 93. Quod tamen discrimen quis est, qui observet?

ALIUM] *Simplici L; non allium: Probus: qui sic legit versum illum. Virgilii:*

Alia serpillúmque, herbas contundit olentes.

ALIA] *Flumen: unico L Servius & libri.*

Unde apud Lucanum prima legitur correpta.

Alterum L. Æneid. 7. dicit Servius, causa metri accedere.

APENINUS] *Unico N. libri & Græci.*

Du-

Duplici potius N. scribendum hoc vocabulum videtur: quia, ut ex Strabone apparet, apud Græcos est ἀπέννινος. Luculenta ejus descriptio apud Lucanum l. 2. habetur: & Cicero l. 3. de Oratore injicit mentionem: *Vt ex Apennino fluminum: sic ex communi sapientum jugo, sunt doctrinarum facta divortia.*

ARTUS] *a, am. Id est angustus. Item artare & coartare sine C. Probus in Catholicis, & Priscianus lib. 6.*

Qui scribunt arctus, interpositâ literâ C, ab arceo manare dicunt, cujus supinum inusitatum arcitum (à cujus composito est exercitus) contractè arctum. Quemadmodum verò farctus dicitur & fartus: ita arctus etiam & artus.

ADOLESCENS] *per O. Quanquam Caper & Politianus adulescens probarunt.*

Qui retinent adulescens, quibusdam libris nituntur antiquis, & illud

nostri

nostri adferunt Lipsii, qui: *rectum, ait, nobis esse debere, quod prisca illa & proba ætas scripsit: etiam omni Grammaticorum cohorti aut non lectum, aut neglectum.* Verùm hæc quod attinet, forsan ea locum habent, ubi, apud priscam illam & probam ætatem, est in scriptione consensus. Docet autem ipse Lipsius, *ante Vespasiani ævum, nisi fallatur, nunquam adulescens reperiri.* V. Scal. c. 21. de causis L. L. qui *Umbros eos appellat, non Romanos, qui dicunt adulescentes, non adolescentes.* Eos enim *Festus ab adolesco tradit vocitatos, quòd in illis ignis excrescat.*

ALLEC] *duplici L, sine aspiratione, non Halec. Carisius, libri Veteres, & Græci.*

Commodè à Græco ἅλμη salsedo, originem trahere creditur; quod Isidorus amplectitur libr. 12. c. 6. *Halec, inquiens, pisciculus ad liquorem salsamentorum idoneus: unde & nuncupatus.* Sic satius esset, si aspiratio à fronte adderetur, & alterum L omitteretur.

HAVE

HAVE & HAVEO] *per aspirationem, non aveo. Quintilianus & Nonius Marc. apud quem haventia scribitur; & omnes antiqui lapides.* (*Vox hæc millies millies in lapidibus reperitur.*)

Illud Have, uti notant illi, quos propitiis Musæ oculis respexerunt, est vocabulum Punicum: & ad Pœnos transfertur ab Ebræis, quibus est חוה Chave, vel Have: quod est vive. Ebræorum enim ח in aliis linguis haud rarò in H mutatur. Punicam autem linguam ex Ebræâ esse oriundam, ὀφθαλμοφανερῶς ex Hannone, Plaut. Pœn. Act. 5. Sc. 1. discimus, qui ita infit: *Ythalonim Vualonuth si corathisima comsyth.* Quæ exasciati vir judicii Joannes Seldenus in suo de DIs Syris tract. c. 2. hoc modo Linguæ sanctæ reddidit:


נא את עליונים ועליונות
שקרא אתם מקום הזאת:

hoc est,

Obsecro Superos Superasque,
quibus contigit locus iste.

Unde

Unde non Josephus Scaliger tantùm, monstrum illud ingenii, in Epistola ad Stephanum Ubertum: *Plautinæ Pænuli dialectus parùm abest à puritate Ebraismi*: (quod addit sentitque cum Wilhelmo Postello, sacra Biblia, non Ebraica, sed Phœnicia esse lingua conscripta, nimis videtur durum dubiúmque) sed ipse etiam Priscianus libr. 5. scribit: *Lingua Pænorum, quæ Chaldææ, vel Ebrææ similis est & Syræ, non habet neutrum genus*. Imò tuba Patrum Augustinus: *Quid est*, inquit, *Mammona? Verbum est enim, quod Latinum non est. Ebræorum verbum, cognatum Linguæ Punicæ. Istæ enim linguæ sibi significationis quâdam vicinitate sociantur. Quod Punici dicunt Mammon, Latini lucrum vocant*. Serm. 35. de Verbis Domini ad D. Lucam. Et: *Christus à Charismate appellatur, id est, ab unctione. Hunc Ebræi dicunt Messiam: quod verbum Punicæ linguæ consonum est: sicut alia Ebræa permulta, & penè omnia*. libr. 3. contra litteras Petiliani Dona-



tistæ.

tistæ. Ne verò Sanctum Hipponæ Episcopum, quppe in lingua Ebræa non satis versatum, rejicias: ecce succenturiatum B. Hieronymum, cujus perpetuum ipsa fuit delicium: *Tyri & Sidonis, in Phœnicis litore, civitatum Carthago colonia. Vnde & Pœni, sermone corrupto, quasi Phœni appellantur: quorum Lingua Ebraa lingua magna ex parte confinis est.* Comm. 5. ad Jeremiam. Hæc de Have, ex lingua Punica, & porrò Ebræâ, desumto. Plura subtilissimè hac de re disputata occurrunt apud Scaligerum, Appendice operis de temporum emendatione.

HARENA] *cum aspiratione, Carisius, Victorinus, & Phocas. Dicta, quòd hæreat: quanquam Varro ab arendo deducit, quòd sit arida.*

Probabilior Varronis sententia, quam Servius in lib. 1. Æneid. ita recenset: *Arena si ab ariditate, non adspiratur; si ab hærendo, adspiratur: melior tamen prima sententia.* Arridet illa etiam Isidoro lib. 16. Orig. c. 3. & lib.

lib. 19. cap. 10. Mirum enim videri posſit, arenam ab hærendo dici: cùm admodùm nihil hæreat. Quod ſi quem offendat, quod areo primam habeat productam, arena verò correptam: cogitet deducta alia quàm plurima à primis, in quantitate, degenerare.

ASSUM) *Non adſum. Libri veteres, Cariſius, & Plauti jocus: aſſum, non elixum, volo.*

Dici tamen & adſum, ſcribit Scaliger cap. 34. de C. L. L. ubi hæc ſubjicit: *Conſules auribus & materiæ: ſicuti Plautus cum jocatur; & maluit aſſum dicere, quam adſum: ut ſubinferret: at ego elixum volo.* Pœnulo Act. 1. ſc. 2.

Æ DIPHTHONGUS] *ſicut & aliæ omnes apud antiquos ſemper diviſis litteris, non conjunctis, ſcriptæ ſunt: quod & hodiè ſervatur à doctis. Notandum & illud ex Quintiliano lib. 1, c. 12. in ablativis, ut Grammatici loqvuntur, qui ſimiles*

miles essent nominativis, A literam linea transversa solere induci; idq́ ad discrimen: Palmā, Musā, volā.

Verba Fabii notanda probè: Nôsse, quibus quæque syllaba literis constet, infra Grammatici officium est: sed totam (ut mea fert opinio) subtilitatem in dubiis habet: ut longis syllabis omnibus apponere apicem, ineptissimum est: quia plurimæ natura ipsa verbi, quod scribitur, patent: sed interim necessarium; cum eadem littera alium atque alium intellectum (prout correpta, vel producta est) facit: ut malus, utrum arborem significet? an hominem non bonū? apice distinguitur. Palus aliud, priore syllaba longa: aliud sequenti, significat. Et cùm eadem littera nominativo casu brevis, ablativo longa est: utrum sequamur, plerunque hac nota monendi sumus l. d. Horum prius planè jam exolevit: posterius à paucissimis observari videmus: quia casuum differentia ex συζυγίᾳ textus facilè con-

spi-

ſpicitur. Quando Fabius ſyllabarum compoſitionem Grammatico adimit: notandum; apud veteres aliis id muneris incubuiſſe, ut pueros elementa docerent prima, qui Litteratores, & Notarii; aliis, ut adderent cætera, qui Grammatici appellabantur. Evidenter hoc patet ex cap. 14. Rufini Aquilejenſis: *Parvo*, ajentis, *tempore, cum à Notario integrè, à Grammatico ſufficienter eſſet inſtructus Athanaſius &c.* Quibus C L. Barthius ſubjungit: Notarium hîc vocat, qui notas, hoc eſt, prima elementa litterarum docebat, novo more. Notas quidē ſingulas litteras dici, Feſtus docuit: inde Notarius pro Litteratore. Eundem invenio & Librarium dici. Hieronymus ad Athletam: nec poterit erubeſcere vir doct⁹, in propinqua, & nobili virgine, quod Ariſtoteles fecit, in Philippo filio, & ipſe in Librariorum vilitate initia monſtraret litterarum. Grammaticum hîc capio, qui Poëtis interpretandis occupatus, alio nomine Grammaticus

Critic⁹, apud auctores, dicitur, quiq; totius ἐν κύκλῳ παιδείας consultus habebatur. Quale nomen etiam, postremis temporibus, gloriosum fuit, utpote à Carolo Magno, Imperatore, quoque affectatum, qui otiosus nihil agebat aliud, quàm libros corrigebat, ut proditum à Thegano Chorepiscopo memini.

Ejusmodi Grammatici intelligendi non sunt, quando Eruditi de Grammaticorum audacissimâ temeritate conqueruntur, & CL. Barthius scribit: *Bonos Auctores à Scabie Grammaticorum defendere, esse cum Hydra manum conserere: adeò hanc camarinam esse fœcundam!* lib. 5. cap. 22. Sed illi Semipagani, quorum in cerebris tàm mirabiles interdum, ut CL. Corvinus loquitur, surgunt vapores, ut quid agant, satis pensi non habeant; quin ferè in fæminas abeant, quæ sive annuant, sive renuant (quod Castilionis Aulicus habet) semper eligant id, quod deterius est. Qui pòstquam vix à limine Musas saluta-

lutarunt, vix unam, atque alteram Donati pagellam, per transfennam, spectârunt, principes se rei litterariæ arbitrantur &, (verba Eruditissimi Philippi Caroli, Ex Professoris Altorfini, Præceptoris honorandi Orat. de Criticis) promti cum stylo, & telo passim obvios auctores jugulant, expellunt, & trucidant, innocentes syllabas, quæ nunquam malè meritæ de Patria sunt.

Sed quo istorum ineptiæ calamum exerrantem pertraxerunt? Quin potius ad Diphthongos regrediamur, & quæ de illis occurrunt, hac occasione, enarremus. Docet Noster Æ *Dipthongum semper divisis literis fuisse scriptam*: quod & de hac ipsâ æ, & ai accipiendum. Vetustissimi enim, pro æ posuerunt ai: Unde etiam Aimilius pro Æmilius alicubi Romæ, in antiquis spectationibus, se annotasse, &, cum supra testudinem Pantheia ascendisset, fragmentum ibi marmoreum, cum ejusmodi scripturæ vestigiis, offendisse, tradit Angelus Poli-

tianus c. 43. Miscellan. Hinc diæresis etiam facta in illis, quæ sunt apud Virgilium, aulai, pictai.



B.

BELLUA] *non belua. Festus, & Libri.*

Festus ita : *Bellum à belluis dicitur : quia belluarum sit perniciosa dissensio.* Sed ridetur à Scaligero, qui *belluam à bello; non verò bellum à belluâ deducit : quia vox bellum in usu prior, quàm bellua : quæ ante bestia fuit appellata.* Elegans allusio est apud Ciceronem l. 1. de Offic. *Temere in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam, & belluarum simile est.* Cl. Barthius in c. 23. l. 8. Adv. producit ex Manilio locum, ubi prima corripitur. Est ille hujuscemodi :

--- Dabit & jaculum torquere lacertis
Et calamum nervis ; beluas & mittere virgis ;

Pen-

Pendentemq́; suo volucrem depren-
dere cœlo:

subjiciens:

De modo syllabæ ne quis sollicitus sit, sciat, brevi prima eadem voce usum esse Varronem:

Quid dubitaris, utrum nunc sitis
Cercopitheci,
An colubri, an beluæ?

Et Plautum Pseudolo, Actu primo, Scena secunda.

BRUNDISIUM] *per I, non per U, Libri veteres, Festus & Græci.* Si Græcum observetur: scribendum Brontesium vel Brentesium. Scribitur enim βρεντήσιον, seu βρεντέσιον, ut notat in Festum Scaliger Filius.

BALINEUM & BALNEUM, BALINEAS & BALNEAS] *Carisius lib. 1. B autem littera cum U consonanti magnam habuit affinitatem. Unde apud Adamantium Martyrem besica pro vesica scribitur, & nabus pro navus: & frequentes errores in Pandectis Flo-*

rentinis: bobis pro vobis, Favius pro Fabius, Verutiensis pro Berutiensis.

Aliam rationem suggerit Festus, quamobrem Favii, vel Fovii fuerint vocati: quod *Princeps gentis ejus ex eâ natus sit, cum qua Hercules in fovea concubuit*: quam nec Alexander ab Alexandro lib. 1. c. 9. Genial. dierum improbat: etsi aliam etiam subnectit; dictos nempe Fabios à satione fabarum. Addit idem Festus: *Alii putant, eum primum ostendisse, quemadmodum ursi, & lupi foveis caperentur.* Repetit hæc Paul. Manut. comm. super Epist. 4. l. 3. Familiarium. Andreas Tiraquellus super c. 9. l. 1. Gen. dier. docet, appellatos quoque Fovios, à foveis fodiendis; Deinde mutatis literis, lapsam loquendi consuetudinem, Fabiis cognomen fecisse.

Cæterûm ex hac observatione, quòd V, apud veteres sæpè, fuerit pro B usurpatum, loca multa, eàque difficilia, suo possunt nitori restitui. Est apud Agellium (*ita enim potius scri-*

bim-

bendum, quàm A. Gellium, clarè docuit Animadversione I. in hunc ipsum scriptorem, ex Prisciano, J. Lipsio, Ludov. Carrione, Victore Gisellino; ex analogiâ, Etymologiâ, & veteri quodam Lapide CL. Philipp. Carolus) & numerò Excellentissimus noster Horstius, Orator eximius, Præceptor omni observantia dignissimus, nobis subjecit Epistolam Gifanii ad Muretum LXXXII. quæ idem confirmat. Locus ex Africanio Poëta Comico:

Hem iste parentum est vitabilis liberis,
Vbi malunt metui, quam vererì à suis.

Tenebræ Cimmerianæ, quibus dissipandis ne clarissimus quidem Muretus. Noster ἀκριβῶς ita:

Horumce parentum est vita vilis liberis,
Qui malunt metui &c.

Maxima difficultas tollitur B in V. mutato. Videatur exemplum aliud apud Norstum, c. 28. l. 2. variar Lect.

BENIVOLUS & BENIVOLENTIA] *Libri veteres, Eutyches, & Priscianus lib. V. Componuntur, inquit, verba ex duobus corruptis, ut: benivolus, pinnirapus (à pinna & rapiendo) munificus, malivolus.*

Impugnant quidam hunc nostrum scribendi modum, & objiciunt: cur non & benificium, & malificium scribatur? Sed nosse debebant, benivolus, & benivolentia cùm scribitur; non ex benè componi, sed beni, quod & ipsum apud Priscos fuit usitatum, ut here, & heri, quase, & quasi, nisi, & nise, de quibus Jul. Cæs. Scal. lib. 1. de causis L. L. cap. 21. Qui testis etiam est locupletissimus, apud veteres, occurrere vocem benivolentia. Inquies: sic falsum, quod dicit Priscianus? Benivolum componi ex duobus corruptis: Responsio in promtu: Veteres non beni tantùm adverbium; sed & nomen benus, bena, benum, hoc est, bonum usurpabant:

bant:

bant: quò Priſcianus reſpexit. Repones: quid ni etiam dicam, benificus, benificium: Reſp. quia neque à beni adverbio, neq; à benus, ſed benè trahunt originem: atque adeò neque apud quemquam leguntur. Pinnirapus legitur apud Juvenal. Satyr. 3.

Pinnirapi cultos juvenes, juvenesq; lanistæ.

Ubi Gallica Siren Turnebus: *rectè Pinnirapus exponitur retiarius, qui pinnam, & ſummitatem galeæ myrmillonis appetebat, & ſe piſcem, qui in ea erat, petere clamabat.* Vel explicatiùs, quid notet Pinnirapus, ex veteri Scholiaſte in h. l. Juvenal. cognoſcatur: Pinnis pavonum ornari ſolent gladiatores: ſi quando ad pompam deſcendunt.

Pinnirapos autem dicit laniſtas, ex habitu gladiatorum: quia poſt mortem ſecutoris, retiarius pinnam, id eſt, manicam, (hoc eſt, quandam veſtis alam) rapit: ut oſtendat populo, ſe viciſſe. Aut ideò pinnirapos vo-

eat, quia pinnas in Galeis habebant. Evidentissimè vetus vocabular. Pinnirapus gladiator, eò quòd, rapiat pinnas, i.e. summitates galearum à devictis, quas columnis, in signum victoriæ suspensas, ferebant. Vel pinnirapus, quasi pennirapus, scilicet, qui plumat aves, vel qui rapit pennam de capite alterius. Qui enim se de velocitate jactabant, pennam in capite suo ponebant, in signum velocitatis. Deinde si quis interveniret velocior, rapiebat pennam de capite ejus.

C.

CARTHAGINIENSIS] *Non Carthaginensis. Priscianus libr. 4. à Pistori, Pistoriensis, Carthagini, Carthaginiensis. Et versus Ennii, apud Ciceronem in oratione pro Cornelio Barbo:*

Hostem qui feriet mihi erit Carthaginiensis.

Et lapis Duilli Consulis Romani.

Verba Prisciani paulò habent aliter atque hîc: Si tertiæ sint declinationis,

tionis, abjiciunt extremam genitivi, & assumunt ensis: ut Pistor, Pistoris, Pistoriensis: Carthago, Carthaginis, Carthaginiensis.

Apud Ciceronem quidem in Orat.h.l. laudata ab initio per K scribitur, qua de re Noster in littera K, ubi nos quædam, ex Donato, & Diomede erimus subjuncturi.

COTIDIE] *per C Quintilianus lib.1.cap.12. & Annejus Cornutus, qui ajunt Ciceronem, & Virgilium semper ita scripsisse.*

Cl. Barthius ex Vitruvio per Qu. scribit: *Esse quendam Aristophanem, qui summo studio, summaq; diligentiâ, quotidie omnes libros, ex ordine pellegeret. Ubi quotidie,* inquit, *Vitruvio continuò & continenter denotat. Quomodò, nisi capies, infami mendacio te onerabis.* c.10.l.24. Ad. v. Quæ notio negligenda non est. Ante tempora Quintiliani dictum scriptúmque esse Quotidie, ex ipso & aliis apparet; Dominabatur autem (ut hoc propter alteram Quintiliani scripturam

eat, quia pinnas in Galeis habebant. Evidentissimè vetus vocabular. Pinnirapus gladiator, eò quòd, rapiat pinnas, i.e. summitates galearum à devictis, quas columnis, in signum victoriæ suspensas, ferebant. Vel pinnirapus, quasi pennirapus, scilicet, qui plumat aves, vel qui rapit pennam de capite alterius. Qui enim se de velocitate jactabant, pennam in capite suo ponebant, in signum velocitatis. Deinde si quis interveniret velocior, rapiebat pennam de capite ejus.

C.

CARTHAGINIENSIS] *Non Carthaginensis. Priscianus libr. 4. à Pistori, Pistoriensis, Carthagini, Carthaginiensis. Et versus Ennii, apud Ciceronem in oratione pro Cornelio Barbo:*

Hostem qui feriet mihi erit Carthaginiensis.

Et lapis Duilli Consulis Romani.

Verba Prisciani paulò habent aliter atque hic: Si tertiæ sint declinationis,

tionis, abjiciunt extremam genitivi, & assumunt ensis: ut Pistor, Pistoris, Pistoriensis: Carthago, Carthaginis, Carthaginiensis.

Apud Ciceronem quidem in Orat. h. l. laudata ab initio per K scribitur, qua de re Noster in littera K, ubi nos quædam, ex Donato, & Diomede erimus subjuncturi.

COTIDIE] *per C Quintilianus lib. 1. cap. 12. & Annejus Cornutus, qui ajunt Ciceronem, & Virgilium semper ita scripsisse.*

Cl. Barthius ex Vitruvio per Qu. scribit: *Esse quendam Aristophanem, qui summo studio, summaq; diligentiâ, quotidie omnes libros, ex ordine pellegeret. Ubi quotidie*, inquit, *Vitruvio continuò & continenter denotat. Quomodo, nisi capies; infami mendacio te onerabis.* c. 10. l. 24. Ad. v. Quæ notio negligenda non est. Ante tempora Quintiliani dictum scriptúmque esse Quotidie, ex ipso & aliis apparet; Dominabatur autem (ut hoc propter alteram Quintiliani scripturam

addamus, cum quâ etiam facit Victorinus libr. 1, de Orthograph.) magis nonnunquam apud veteres consuetudo, quàm magna rationum pondera: quemadmodum olim etiam, propter affinitatem elementorum, Lutetiæ Sorbonici, ex consuetudine vernacula, pro Quisquis, Quanquam, Kiskis, Kankam pronunciarunt: ut Becmannus, vir de litteris meritissimus, annotavit. Derivatur, uti nemo inficias iverit, quotidie à quotus, vel quot, & dies, quemadmodum ab illo descendunt quot calendis, quot septimanis, apud Plautum; quot mensibus, apud Vitruvium, Catonem, & Ulpianum: qui *nihil interest*, ait, *utrum in annos singulos, vel quotannis: an in singulos menses, vel quotmensibus, an in singulos dies, vel quot diebus legatur.* Quæ igitur ratio; si rectè scribitur, cotidiè; quamobrem vitiosè scribatur cotannis?

CÆLUM] *per æ, non œ, à cælatura, Festus, & libri.*

Trifariam hoc nominis scribi consue-

fuevit: per æ, per œ, per e. *Qui per æ*: deducunt à verbo cęlo, sculpo: quod, ut Ambrosius loquitur, impressa stellarum lumina habeat, unde quasi cælatum appelletur: sicut argentum, quod signis eminentibus refulget, cælatum dicimus. Quæ etiam Isidori sententia; qui addit: Distinxit enim eum (ita loquitur) Deus claris luminibus, & implevit Solis scilicet & Lunæ orbe fulgenti, & astrorum micantium splendentibus signis adornavit. l. 3. c. 30. & l. 11. c. 4. Originum. Quò pertinent præclari Varronis versiculi:

Mundus domus est maxima rerum,
Quam quinq; altitonæ fragmine Zonæ
Cingunt, per quam limbus pictus bis sex signis
Stellimicantibus, altus in obliquo æthere, Lunæ
Bigas acceptat.

Placet hæc scriptura etiam Plinio l. 2. cap. 4. *Cælum haud dubiè cælati argumento diximus*: & Varroni lib. 4. de

LL. *Qui per œ:* à Græco κοῖλον desumunt, unde antiquitùs coilum fuit exaratum: quia nobis intuentibus cœlum; quasi fornix, apparet. Hoc probatur Josepho Scaligero; improbatur Perotto, qui dicit: *Si derivaretur à κοῖλον, per œ scriberetur, quod nusquam animadvertimus.* Addit autem Matthias Martinius: *Scriptura sapè instituitur negligenter.*

Qui per e; originationem à celo, hoc est, abscondo; occulto, tego, petunt: quoniam, ut Poëta dicit:

---- tegit omnia cœlum.

Omnes hæ Scripturæ sunt tolerabiles: ultima tamen infrequens: reliquarum utraque, & multos, & eruditos habet assertores.

CENA] *sine Diphthongo, Libri, & Lapides: Festus tamen cum æ.*

Scaliger & alii litterarum ac sapientiæ antistites scribere per œ malunt, quia à κοινὸς descendat. Prandium enim (Gr. δεῖπνον, ὅτι δεῖ ποιεῖν) Veteribus erat exile admodum, &, ut Plauti voce utamur, æstivum: ubi quis-

quisque in ipsa laboris defatigatione aliquid cibi capiebat, quo vires reficeret. Opere autem perfecto, & die in seram vesperam inclinatâ, lautiùs largiúsque cuticulam curabant, &, uberiore epularum apparatu, sese excipiebant, idque cum familiarum atque affinium societate. Iccirco *Cœna dicta*, inquit Jul. Cæs. Scaliger lib. I. Poët. c. 5. *quia* κοινῇ *viscerentur: non privato demenso diurno.*

Concinit Plutarchus lib. 8. Probl. 6. *Ajunt cœnam Romanis dictam ob communionem.* (κοινωνίαν) *Veteres enim Romanos* (καθ' ἑαυτοὺς) *solos modicè* (ἐπιεικῶς) *prandere solere, cœnare verò cum amicis.* Nec multùm abludit Isidorus libr. 20. Orig. c. 2. *Cœna vocatur à communione vescentium:* κοινὸν *quippe Græci commune dicunt. Vnde etiam communicantes quod communiter, id est, pariter conveniant. Apud veteres enim solitum erat in propatulo vesci, & communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret.* Quæ ex eodem repetit, & egregia addit alia Joannes

Ro-

Rosinus lib. 5. antiquitatum Romanarum c. 27. Joh. Wilhelmus Stuckius lib. 1. c. 3. antiquitatum convivialium, procul dubio, ad utrumque respexit, quando: *Cœna*, inquit, *ἀπὸ τῆς κοινωνίας, id est, communione: cujus nimirum ea interpres, conciliatrix atq; custos: quam ob causam, quævis etiam convivia veteres Ethnici, teste Clemente Alexandrino Pædagog. 2. ἀγάπας, i. e. charitates appellârunt: eò nimirum, quod convivia optima sint mutua hominum charitatis vincula atq; symbola.*

Locus Festi est talis: *Cœna, apud antiquos, dicebatur; quod nunc est prandium: Vesperna, quam nunc cœnam appellemus.* Ad quæ verba, rectè intelligenda, notandum: quòd quidam semel tantùm de die cibum ceperint, qui μονοσιτοῦντες appellabantur: quibus cœna erat, tanquam prandium: Prandio autem, quod propriè nobis escam notat meridianam, abstinebant potiùs, quàm cœna. Et tunc cœna, propriè dicta, illis erat

ἀρι-

ἀκρατίδειπνον, prandium cœnæ conjunctum. Qui autem semel prandebant, semel cœnabant, uti nos quidem his utimur vocabulis; illi δειπνοῦντες dicebantur. Et de ejusmodi cœna, quæ ex Scaligero, & Isidoro, sunt producta, erunt intelligenda.

CETERA] *sine diphthongo. Monumenta omnia antiqua.*

Quia non nemo dubitare posset, an omnia monumenta habeant *cetera*: (quis enim ea perlustraverit?) ideò alii, sepositâ Virgilii Carpensis, & lapidum auctoritate, cum Julio Cæs. Scaligero c. 28. & 127. scribunt cætera per æ: quia ex καὶ & ἕτερος componitur. Observetur ὡς ἐν παρόδῳ, hic *macula in corpore Calepini, aliàs non informi, notabilis.* Dicit enim, Cætera esse absque recto in numero singulari usitato: cùm Cato doctissimus cap. 22. de re rustica scribat: *Caterus ornatus domi Pompeji emtus est.*

CÆLLA] *parvum cubiculum: per æ diphthongum, quod ea cælentur, quæ volumus esse occulta.*

Rectè

Rectè noster à celo format, quòd secundùm Isidorum lib. 15. c. 3. nos occultet & celet: Sed celare per e, non æ diphthongum, syllabam exprimit primam. Et sint fortassean quædam monumenta, ubi cælare, per æ, inveniatur: libri tamen & lapides sunt Romę alii, qui celo, per e, amplectuntur.

COLINA] *non culina. Nonius, Marcellus, & Varro, de vita populi Romani lib. 1. dicta ab eo, inquit, quod ibi colebant ignem.*

Et Perottus: *Culina dicta, quod locupletiorem in his ignem colimus, ut Marcellus sentit, vel à colluvie.* Unde, suffragante cumprimis veteri quodam Glossario, pro secessu etiam & latrinâ quidam sumserunt: ut in illo Petronii: *qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quàm benè olere, qui in culina habitant.* Quam significationem etiam summus Scaliger retinuit. Sed *non satis dextrè, ut ego puto,* inquit CL. Barthius l. 19. c. 21. Adv. Nam quis unquam homines in latri-

latrinâ habitare dixit aut legit? Sanè culinam dicit Petronius, ubi non benè olent, qui quotidie fuliginoso igni, & pinguibus esculentis, vario adipe & herbis olentibus adsunt. Qui sanè aliter non possunt, quàm cum plura jura, comico dicterio, confundit coquus.

Paulo aliter Sext. Pomp. Festus: *culina locus vocatur, in quo epulæ in funere comburuntur*. Et Nonius Marcellus: Culinam veteres coquinam dixerunt, non ut nunc vulgus putat. Varro Modio: At hoc interest inter Epicurum, & ganeones nostros, quibus modulus est vitæ colina. Plaut. Mostellaria: Exi è colina, sis, foràs mastigia, qui mihi inter patinas exhibes argutias. Varro de vita populi Romani, lib. primo; Quà finis it, antica, & postica. In postica parte erat culina, dicta ab eo, quòd, ibi colebant ignem: Locupletiorum domus quàm fuerint angustiis paupertinis coactæ, ipsa nomina declarant. Hæc Nonius; cap. 1. *Festus à calore* videtur de-

deducere: qui nihilo tamen minùs ſcribit culina: *Nonius à coquo*, qui & ipſe in fronte per U: *Alii à colo*, qui modò per O, modò per U, ſignârunt. Utrumq; enim, apud veteres, occurrere vidimus.

CRUMINA] *non crumena. Sacculus, in quem pecuniæ conduntur. Feſtus; & Plauti libri antiqui.*

Scriptum eſſe hoc nomen apud veteres per I in medio: teſtis etiam eſt doctiſſimus Taubmannus Aſinar. Act. 3. Sc. 2. & Act. 3. Sc. 3. Et Nonius: *Bulga eſt folliculus omnis, quam & cruminam veteres appellârunt.* Editio Gothofredi quidem, qui Auctores Latinæ Linguæ celebriores, in unum corpus redactos, A. M.IↃ.XCV. excudendos curavit, habet crumenam, ſed Veneta A. M. IↃ. impreſſa, & aliæ, conſtanter legunt cruminam. Derivat autem Boſius, à κρεμᾶν, hoc eſt, pendêre: quia ut Meurſius notat, *Veteres, more noſtratium ruſticorum, cruminas*

in

in collo gestabant. Unde decollare propriè de cruminis dicitur, quando absunt, & periêre. Hodiè eruditi propè omnes, per e, cribere assolent.

COMMISSATIO : *vel commassatio potiùs & commaßari. Non commessatio, à Græco* κωμάζω. *Festus, Donatus in Ter. Eunuch. & Varro de Ling. Latin. Libr. V.*

Isidorus, Ambrosius Calepinus, Torrentius Comment. in Suet. Vitell. c. 13. & Crusius à comedo deducunt, & comessatio, scribunt. Sed comedo primam corripit: quam, sive malis comessatio, sive comassatio, sive comissatio, producit: uti Nicod. Frischlinus Dial. 3. docet: etsi hæc ratio infirma. Derivatur autem, ut cum Lipsio, & aliis, tradit Jul. Cæs. Scal. l. 1. Poët: cap. 5. Lambin. ad Od. 4. l. 1. Frischlin. l. c. Rosin antiq. Rom. l. 5. c. 27. Taubm. Mostell. Act. 1. s. 4. & eruditissimus noster Weitzius, Doctor & Amicus carissimus, pulcerrimâ in Terent. Commentat. Eun. Act.

3. Scen.

3. Scen. 1, à κωμάζω, quod est ebriorum more se gerere, lascivire, scortatum ire: nocturnis & intempestivis conviviis indulgere, Gulielm. Budæus, Annot. in Pandect. pag. m. 262. Vel enim est à κώμη, Vicus, Pagus, quod vult Festus: quia *juventus, olim vacui temporis otio atque licentia noctis abusa, secura imperiorum, vel heri, vel patroni, vel parentum, per pagos (nondum enim in urbes convenerant) discurrit*: Scal. l. c. *vel à* κῶμος, quod Varroni placet, & *nihil aliud, nisi conviviantium, forâs è triclinio prodeuntium, lasciviam, pergræcationem &c. significat*. CL. Weitzius l. c. Scribendum igitur cum Lambino, & Frischlino, vel comassatio, vel comissatio, comissari: ut à πατρίζειν fit patrissare. Per quem cuniculum alterum illud in ab initio irrepserit, aut quò jure possit tolerari, non liquet: Viderint perspicaciores.

CONDICIO] *per C Libri antiqui.*

Mavult Camerarius per T scribere,

re, quia ex condo. Unde Alciatus l. debitori C. de pact. *Conditionem dicit qualitatem, quâ aliquid condi, hoc est, fieri aptum est.* Quam ſcripturam etiam Iſidorus amplectitur l. 5. c. 24. Etſi aliud quærit Etymon à condico: ut ſit condicio, quaſi condictio. Sed ita planè alium obtineret ſignificatum: nempè conſenſum teſtium, quorum ſermo, ut ipſe loquitur Iſidorus, inter ſe conveniat.

CONSIDERO, & DESIDERO] *per I ſimplex, non per Υ Græcum.*

Conſiderare, inquit Feſtus, *à contemplatione ſiderum videtur appellari.* Deſidero valdè appeto, ac ſi à ſideribus bonum aliquod flagitem cœleſtiſsimum, quod verbi eſt Velleii Paterculi. Utrumque eſt ex nomine Sidus, quod, ut ex Varrone libr. 6. & ejus explanatore Joſ. Scaligero conſtat, non eſt Græcum, ſed Latinum, à ſido, ſidis, ſidere, vel inſido: Quia ſidera inſidunt, Græcè, apud Aratum ἐστήρικται. Unde etiam ἀστέρες. Ad ſali-

vam

vam non eſt, quod ſtatuit Iſidorus libr. 3. Orig. cap. 70. *Sidera dicta eò, quod ea navigantes conſiderando iter dirigunt ad curſus conſilium: ne fallacibus undis, aut ventis aliò deducantur.*

CONSUMARE] *id eſt, perficere: unico M Libri & Lapides.*

Alii eligunt conſummo m duplici: quia à ſumma derivatur. Niſi fortè ſumam velis unico m ſcriberet quod Scaliger lib. de Plantis à ſumo deducit.

CONVICIUM] *per C. Dictum eſt enim quaſi convocium: & Libri antiqui.*

Valla quidem lib. 6. Elegant, cap. 52. à vitium, vel etiam à vito deducit: ſed abſque populi, vel etiam Patrum ſuffragio, ejusmodi agit cenſorem. Feſtus certè convicium amplectitur, quia *vel à vicis, in quibus prius habitatum eſt, videatur dictum: vel immutata littera quaſi convocium.* Conſentit Ulpianus, cui *convicium vel à concitatione dicitur, vel à conventu*: ſcilicet mul-

multarum vocum. Probatur etiam Gothofredo, Casaubono, &, qui ex hoc didicit, Grutero, in Seneca suo, dicenti: *Convicium idem, quod* κατὰ ζὸν, *convocium.* Placet præterea Barthio c. 12. l. 17. Adverſ. ſcribenti: *Origo ejus est, quasi convocii; à multitudine vocum confuſarum conveniente, ut teſtis est* γραμματικώτατος *Ulpianus l.* 15. § 12. *de injuriis.* Qui inſuper notat, *hanc vocem eſſe* τῶν μέσων, *quæ tàm in bonam quamvis, quàm malam partem, poſſit uſurpari.* Poſterior hæc acceptio eſt uſitata ſatis; prior peti poteſt ex l. 12. Ep. fam. Meo juſtiſsimo, honeſtiſsimoq; convicio, te tuam dignitatem, ſumma tua virtute, tenuiſſe. Quem locum l. 1. Var. c. 12. & notavit *Jacobus Ravardus, homo, judice Barthio, acutus, ſed ſcriptorum veterum ſententias, mira ſecuritate lectorum, uſui ſuo adtorquens.* Ex Phœdro in fabul. 6.

Clamorem ranæ ſuſtulêre ad ſidera,
Convicio (precibus) *permotus quærit Juppiter &c.*

Loca pluria obſervavit Giſanius in

Observationibus singularibus, in Linguam Latinam, p. 51. ubi videmus *convicium interdum pro clamore etiam adhiberi*, ut apud Cic. pro Archia: Suppeditat nobis, ubi & animus, ex hoc forensi strepitu, reficiatur, & aures, convicio defessæ, requiescant. Atque ita commodissimè in illo explicatur: *Sex convivium, plures convicium*. Convitium, per t, notat plurium labem, vitiumvè ædificiorum: ut patet ex Lapide quodam Veronensi: *Convitium refecerant, limen, valvas &c.*

CALLIPIOPEA, CHOREA, SPONDEUS, PYTHAGOREUS] *& similia omnia sine diphthongo, per e simplex, accentu addito, Priscian. lib.* 1.

An propterea hæc per e, non æ diphthongum scribamus, quia apud Græcos χορεία καλλιόπεια, σπονδεῖος, πυθαγόρειος, quorum ει transit in e longum, uti fieri amat ut plurimùm: in aliis autem, quæ merè sunt Latina, à Prisciano faciamus?

CICE-

CICERONEM SEMPER SCRIPSISSE: *Caijus, Maija, Pompeijus, peijus, eijus, ejicio: & similia omnia, geminato i simplii.c Velius Longus tradit. Et Priscianus lib. 1. auctor est, eandem scripturam Caijo Cæsari placuisse. Marius idem Victorinus, aijo, Troija, Aijax, & similia scribenda docet. Cæsellius etiam apud Cassiodorum affirmat, eji, eijorum, & ejis, per duplex i, scribenda esse. Veteres quidem ita scripsisse, docet Lucretius, apud quem hæc producta sæpè leguntur.*

Et manibus nitidum teneris opus effluit eji.

Ciceronis talem fuisse scripturam, præter Velium Longum, docet eti‹a›m Quintilianus, hisce verbis: *Sciat, Ciceroni placuisse, Maijam, Aij acemq; aijo, aji, aijamq;, geminato ij scribere* l. 1. c. 5. Ubi, ut addunt Commentationes, in aijo, ai est una, jo altera syl-

laba: itemque alterum i officio consonantis fungitur. Fabius ibid 'Ομόψηφος. Scaliger senior, l. 1. c. 12. de causs. LL. qui ait: *per geminum ij scribebantur Maijus, Pompeijus: quorum prius priorem claudat syllabam: quomodo etiamnunc quidam pronunciant Lombardi.* Sed hujuscemodi scriptio, Quint. tempestate, jam exolevit: etsi i duplicati valorem retinuerint. *Litera enim j*, ut ex Prisciano docent Christophorus Helvicus, & Conradus Bachmannus in Poëtica, Taubmanni sententiâ, exquisita industria, summo judicio, & arte singulari concinnata, *modò pro simplici, modò pro duplici consonante, accipitur. Pro simplici, ab initio vocis, sequente vocali, in eadem syllaba, ut Jupiter, Jaculum. Pro duplici, in medio, vocis inter duas vocales. Quo casu antiqui solebant duplex ii scribere, ut maijor, eijus. Atq; hac caussa, cur positioni annumeretur. In Genitivis verò nominum secundæ declinationis scribebant tria iii, ut Pompeiji. Priscian, l.1.* Hactenus

ctenus illi, l. 1. c. 2. Alia, quæ huc pertinent, collegit, in indice Lucretiano, Gifanius, ubi duos hosce versiculos inveniemus:

Nec facilè in venas cibus omnis dicitur eji. l. 2. & l. 6.

Ipsius reji rationem reddere possis.

Paulinus, fideji, scribere ausus fuit. Porrò Sesellius in MS. meo legebatur: sed procul dubiò legendum Cæsellius, qui celebris fuit apud Veteres Grammaticus, cujusque nomen frequentissimè cum L. Cæcilii Vindicis, Grammatici itidem haud ignobilis, confunditur: quorum, quæ supererant, monumenta suæ inseruit Orthographiæ *Cassiodorus, scriptor quidem, ut ita dicam, Ecclesiasticus, sed studiosus etiam litterarum nostrarum, qui Justiani principis temporibus vixit.* J. Lipsius p. 58. Operis Critici.

D.

DEPREHENDERE, & DEPRENDERE] *Quintilian. l. 1. c. 9. sicuti vehemens, & vemens,*

 her-

hercule, & *herclè*, *indifferenter antiqui scripserunt.* Cornutus.

Sicut utrumq; etiam dicitur prehendo, & prendo, vel præhendo, & prændo. Pro ratione enim diversæ Etymologiæ diversimodè scribitur. Qui e simplex retinent; vel à premo derivant: unde prehendo: sicut ab æs ahenus: vel prendo faciunt primitivum; cujus e dilatetur, & postmodò h interponatur. Quibus æ placet: formant ab hendo, quod vel ab inusitato sendo, s in h mutato, uti in hariolor, & fariolor contingit; vel à Gr. χανδάνω, quod capio: & præposita præpositione præ.

Atque hæc scriptura posterior per æ, ubique arrisit Joachimo Camerario. A prendo descendit *prenso*, quod, ut monet contra Grammaticos, Turnebus l. 25. c. 15. Adversar.: non est frequentativum, etsi ejus speciem planè præ se ferat: sed desiderativum, quod animadvertit, qui propiùs inspicit, & quo iis modo auctores utantur, attendit. Nam qui suffragium

alicu-

alicujus mereti studebat, prensare dicebatur: quod erat, tanquam hominem eum, cujus suffragium captabat, prendere velle. Itaque qui se adiri à candidato viderat, dicebat: iste me prensat, id est, prendere cupit.

Vehemens, & vemens à ve, & mens componuntur. *Ve autem illud, & augendæ rei, & minuendæ valet, sicuti alia particula plurima.* Agell. l. 5. c. 12. & l. 16. c. 5. In hisce vocalis ve intendit: quia, tradente Cornelio Frontone, *vehementia est à vi, sive impetu mentis.* Unde autem syllaba he? Respondet Fabius l. 1. c. 9. Parcissimè h veteres usi etiam in vocalibus: cum œdos ircosque dicebant. Diu deinde reservatum: ne consonantibus aspiraretur, ut in Graccis, & triumphis. Erupit brevi tempore nimius usus, ut choronæ, chenturiones, præchones, adhuc quibusdam inscriptionibus maneant. Qua de re Catulli nobile epigramma est. Inde durat ad nos usque vehementer & comprehendere, & mihi: nam mehe quoque, pro me, apud

antiquos, Tragœdiarum præcipuè scriptores, in veteribus libris, invenimus. Scribunt quidam væhemens & væmens, cum æ diphthongo: quia *væ particula, in aliis atq; aliis vocabulis, variatim, per has duas literas, cum a, litera media immissa, dicitur.* Agellius l.5. c.15.

DICUNDUM, FACIUNDUM] *& similia gerundia Ciceronem semper, per u, scripsisse, notat Priscianus l.1. & testantur libri veteres.*

Intelliguntur tertiæ gerundia conjugationis. Fuit, affirmante Lipsio, pag. 178. oper. Crit. *litterarum I, & U. permutatio, quam ad antithesin, vel antistœchon, aliàs referunt, veteribus frequentissima, nata,* ostendente Scaligero c.8. l.1. de causs. L.L. *ex sonis litteræ I tribus, uno exili, altero latiori, propioriq; ipsi e, & tertio obscuriori ipsius U: inter quæ duo Y, Græcæ vocalis sonus continetur: ut non inconsultò Victorinus ambiguam illam, quam adduximus, vocem* (intelligit optumus,) *per Y scribendam esse putarit optymus.*

Tan-

Tandem tamen hæc duorum elementorum permutatio aliquantulum fuit oblitterata: quando *Cajus Cæsar, primus omnium, Optimum & Maximum, quod erat apud Priscos Optumum. Maxamum, pronunciavit.* Jos. Scal. cap. 21. lib. dicti.

DEVORTIUM, & DEVORTI:] *non devortium. Libri antiqui, & ratio compositionis.*

Non à deverto, vel devorio, istud nominis formari, apertè innuit oculatissimus Agellius, quando ita: Memoriæ traditum est, quingentis ferè annis, post Romam conditam, nullas rei uxoriæ neq; actiones, neq; cautiones, in urbe Roma, aut in Latio fuisse: quia profectò nihil desiderabantur: *nullis etiamnunc à matrimonio divertentibus.* Nonius item Marcellus, Isidorus l. 10. c. 8. & l. 15. c. 16. & Cajus Jureconsultus malunt divortium: quorum hic divortium deducit à diversitate mentium, qua in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium.

DESPICIO, & DISPICIO] *utrumq; scribitur: sed despicio contemtum, dispicio considerationem significat. Libri veteres, & Grammatici. Sic degredi, & digredi, Victorino scribi placet: sed degredi est, ex superiori loco descendere, digredi, ex loco discedere.*

Despicio non idem tantùm, quod contemnere, sed plus etiam, quàm contemnere, significat. Ita enim Nonius Marcellus, c. 5. *contemnere & dispicere eò distant: quod est despicere gravius, quàm contemnere. M. Tullius in Verrem actione 3. Quemq; contemserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit. Idem ad Cæsarem, lib. 3. Te contemni, ac despici, ac pro nihilo haberi voluit.* Obtinet autem & aliam significationem; & ponitur pro desuper adspicere: quemadmodum idem Nonius ex l. 2. Georg. asserit:

Qualem sæpè cava montis convalle solemus
Despicere.

Ex Marco Tullio ad Hortens. consolabitur eam magnitudo animi, & humanarum opinionum alta quadam despectio. Isidorus, l. 10. lit. D. *despiciens eo, quod deorsum aspiciat.* Idem sentit Marius Servius Honoratus, interpres Virgilii, in libello veterũ Grammaticorum, de serm. Lat. Verbi dispicio, acceptio nota ex Cic. 1. Tuscul. *Acie mentis dispicere.* Quintil. l. 2. *Proprietates ingeniorum dispicere, prorsus necessarium*; Columell. Præfat. operis sui: at ego cùm aut magnitudinem totius rei, quasi quandam vastitatem corporis; aut partium ejus, velut singulorum subtilitatem dispicio: vereor, ne supremus antè me dies occupet, quàm universam disciplinam ruris possim cognoscere. In eadem tamen significatione etiam despicere invenitur, apud Ælium Donatum, Arruntium Celsum, & alios Terentii interpretes: *Despicere, & disquirere consilium.*

Duorum reliquorum verborum: degredior & digredior, notatio ex his

patebit locis: Tacitus lib. 2: *in specum degressus Sacerdos, hausta fontis arcani aqua.* Livius lib. 2. dec. 1. *cum quingentis haud amplius peditibus, ducentisq; equitibus degressum jugis Masinissam persecutus.*

Virg. 3. Æn.

Hos ego digrediens, lacrymis affabar obortis.

Cicer: Cornificio: *Periniquo patiebar animo, te à me digredi.* Hircius de bell. Afric: *Inde parvulam proclivitatem* (NB. poni cum Accusativo) *digressus &c.*

DECIENS, TOTIENS, QVOTIENS] *& similia, in fine, per N, scribenda sunt, auctoribus Victorino, lib. 1. Phoca de adspiratione, & Pandectis Florentinis: Capro tamen, sine N, scribi placet.*

Cum Capro facit Camerarius, quidam Lapides, & *nummus argenteus Sambuci, ubi novies legitur, non noviens.* Provocat Manutius præterea ad *judicium aurium*, quæ sonum suaviorem amplectantur: potuisset etiam

dam ad usum. Sciendum autem: quòd Veteres porrectas syllabas, ut Quintilianus loquitur, primo geminis vocalib9, ut quotiees; deinde unica tantùm, sed suprapostito apice, quotiens pinxerint: qui forte occasionem erroneæ scripturæ præbuit. Etsi dissimulandum non est, in monumentis permultis, quotiens, totiens, deciens &c. legi, ut docet Noster c. 5. de recta pronunc. *L. L.* circa finem. Quam ultimam scripturam, præter *L*ipsium, amplectitur ipse Priscianus, & *Bembus*, qui, *in quodam Virgilii codice antiquissimo, vidisse testatur.*

DELMATIA] *Non Dalmatia. Fasti Capitolini, & quidam Græci.*

Asserit idem Velius Longus, in Orthographia ex Varrone his verbis: Placet, ut Delmatiam, non Dalmatiam pronunciemus: quoniam à Delminio, maxima civitate, nomen tractum existimatur.



E.

EXSILIUM, & EXSUL] *cum S in medio, ratione compositionis. Exsul enim, quasi ex solo ire, dictus est: & auctoritate Grammaticorum. Nam quod Lambinus excudit exsulium: à finibus Latinæ Linguæ, in insulam, deportandum est. Quod enim ille, analogiam sequi se, putat, ab exsul, exsulium: eadem ratione scribendum esset à consul, consulium. Faciunt contra Lambinum Cornutus, Sesellius, & Euthyches, cujus hæc sunt verba: à consulo & exsulo,* U *in* I *converso, consilium & exsilium dicimus.*

Lis multa & intricata de hujus vocabuli, nempe exsilium, scriptione; & quidem de prima potiùs quàm secunda syllaba, quam solus ferè Lambinus reddidit ambiguam, his in Od. 4. lib. 2. Horat. verbis: *Ego exsulium*

La-

Latinos dixiſſe puto, non exſilium, ab exſule, non ab exſiliendo, ut vulgus putat. Nos vero non putamus: quia, ut docet Noſter, c.29.l.3. Variarum, Lambinus librorum omnium auctoritate, & Grammatici vetuſti, certo teſtimonio, refellitur. Repudianda eſt igitur eorũ ſubtilitas, qui levi, aut nulla ratione moti, à vulgata, & veteri ſcribendi conſuetudine timerè, diſceſſerunt.

Quoad analogiam: eò plura nobis de ea eſſent monenda, quò plures multorum inde pullulantes errores deprehendimus. Sed & nosmetipſos rem acu vix tacturos ſperamus: quamobrem *ſatiùs forſan tacere, quàm loqui; otiari, quam nihil agere.* Paucula tamen ex priſci ſeculi Doctoribus adducere quid obſtat? Etſi enim alii, ſatis ſibi factũ non eſſe, dicent: anſam tamen cogitandi ſoliciciùs captabunt. Nota eſt apud Geometram, imò etiam apud Ethicum, proportio quædam, quæ vocatur Geometrica, & inter terminos verſa-

tur

tur quatuor. Exemplum ejus esto tale: 2.4.6.12. Sicut enim se duo habent ad quatuor: ita se habent sex ad duodecim &c. qua de fusiùs Dd. &c. eruditissimè CL. Conrad. Hornejus. Hujus non omninò dissimilis est Analogia, quam Quintilianus l. 1. c. 9. vertit proportionem Grammaticã, ut patebit; & vel ex Lipsii discursu cuivis apparet: sicuti ab exsuli dicitur, juxta Lambinum, exsulium: ita à consuli dici debebat consulium: si rectè se habet modus ex analogia argumentandi. Discimus enim ex l. 9. Varronis de L. L. *analogiam esse, qua res, inter se aliqua parte dissimiles, rationem habent aliquam: ut, si ad res duas altera duæ conlatæ* (ita scribit) *sint, rationem habeant eandem.* Vel, ex Quintiliano l. c. qua id, quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quæritur, referimus, ut incerta certis probet. Exempla nobis clariora hæc ob oculos ponent. Ex analogia argumentatur Petrus Martyr, tract. de Eucharist. p. 1. p. 297. *Si, qui*

vi-

vitiant, aut adulterant testamenta, rectè appellantur testamentarii: nulla injuria, qui Sacramenta corrumpunt, Sacramentarii dicentur. Ut à bonus, boni, bonitas, sic à clarus, clari, fit claritas. Quemadmodum à civilis, civili, civilitas: ita ab exilis, exili, exilitas. Considerandum autem diligentissimè, quod sentit Quintilianus l. c. *Non, cùm primùm fingerentur homines, analogia demissa cœlo, formam loquendi dedit: sed inventa est, postquam loquebantur; & notatum in sermone, quid quomodo caderet. Itaq; non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed observatio, ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quàm consuetudo.* Et M. Terent. Varro: *Analogia est verborum similium declinatio similis, non repugnante consuetudine communi.* l. c. Non itaque, ut à beatus, dico beatitudo: sic à gratus, gratitudo. Quod neq; apud Ciceronem, (quamvis ingratitudo apud ipsum occurrat) neq; apud probatos auctores occurrit alios. Non, ut ab irrito

for-

ſormo irritamentum; ita ab erro, erramentũ, à narro, narramentum; niſi recta cum ratione velis inſanire. Latinè dicitur, inquit Goclenius, vir cætera doctiſsimus, & in litteris humanioribus vel maximè verſatus, à theatrum theatralis: ſed non à Logica, Logicalis, à Phyſica, Phyſicalis, à Rhetorica, Rhetoricalis. Sed, quod citra hominis eruditiſsimi dicatur injuriã: nulla omninò hic eſt analogia: atque adeò hęc ad illam referri nequaquam poſſunt. Si enim conſulamus Quintilian. l. c. oſtendet, comparationem quandam & convenientiam reperiri debere, in extremis maximè ſyllabis. Unde pergit Fabius: Si quis antiquos ſecutus, fervere, brevi media ſyllaba, dicat: deprehendatur vitioſè loqui: quod omnia, quæ e & o literis, fatendi (indicativi) modo terminantur, eadem ſi in infinitis (infinitivis) e literam mediâ ſyllabâ acceperunt, utique productam habent, prandeo, pendeo, ſpondeo: prandere, pendere, ſpondere. At quæ o ſolam

iam habent, dummodò per eandem literam, in infinito, exeant, brevia fiunt, lego, dico, curro, legere, dicere, currere. Etiamsi est apud Lucilium:

Fervit aqua, & fervet, fervit nunc, fervet ad annum.

Sed, quod pace dicere hominis eruditissimi liceat, si fervit putat simile currit & legit: fervo dicetur, ut curro & lego, non autem, quod ipse vult, ferveo.

Sed NB. non est hæc vera comparatio: nam fervit, est simile, servit, quam proportionem sequenti, dicere necesse est, fervire, ut servire. Dices: exigua ita erit analogiæ utilitas, si ad inventa tantùm faciet vocabula? R. Imò eximia; quod verbis malo explicare Henrici Stephani, quàm meis. *Si qua nobis*, ait ille, occurrunt, sermone antiquo exprimenda, & contingat, ut duos antiquos scriptores, tanquam viæ duces habeamus; non tamé, eadem via, nobis præeuntes: etiam atque etiam videndum nobis est, utrum sequi debeamus?

Ex-

Exempli gratia , duo sunt antiqui scriptores, quorum unus bibonem, alter bibosum quempiam vocaverit. Hic nulla dubitatio relinquitur, quin eum, qui analogiam sequitur potiùs, quàm alterum sequi oporteat. Sequitur autem analogiam, qui bibonem, non qui bibosum dicit: sicut eam sequi dicendi sunt ii etiam, qui bibacem appellant. Nam ut è verbis, edo & comedo, deducebant edonem & comedonem: sic quidnî à verbo bibo, bibonem? & sicut ab edo, edax, quidnî à bibo fieret bibax? At illa in osus desinentia vocabula potiùs à nominibus, quàm à verbis, deduci constat: ac in promptu sunt exempla. Dixit tamen, bibosa, Laberius. Sed is, præ quovis alio, vocabulorum innovator habitus fuit: & tamen in loco, qui ex eo affertur: non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax: hoc vocem istam quodammodo excusare videtur; quod post duas, quæ in osa itidem desinunt, sit collocata, tanquam gratiæ

magis,

magis, quàm illius consuetudinis Latini sermonis habita ratio fuerit. Habetur idem locus apud Rodolph. Goclenium, in Observationibus Latinæ Linguæ; non inelegantibus, sed perquàm excusis mendosè. Transscripsit hæc maximam partem Henricus Steph. ex Agell. lib. 3. c. 12. cujus hæc sunt: Bibendi avidum P. Nigidius in Commentariis Grammaticis, bibacem, & bibosum dicit. Bibacem ego, ut edacem, à plerisq; aliis dictum lego: bibosum dictum etiam, nusquam reperi, nisi apud Laberium. Neq; aliud est, quod simili inclinatu dicatur. Non enim simile est, ut vinolus aut vitiosus, cæteraque, quæ hoc modo dicuntur: quoniam à vocabulis, non à verbis; inclinata sunt. Laberius in Mimo l. 1. qui Salinator inscriptus est, verbo hoc ita utitur: Non mammosa &c.

Confert præterea ad plura analogiæ observatio. Sæpè vocabula apud unum eundemque auctorem occurrunt, significantia idem, & à radice for-

formata eadem: quorum unum carbone, alterum creta notandum, vel isti anteponendum: quòd ab analogia absit propiùs. In Plautinis Comœdiis tàm manducus nobis obviat, quàm manduco. Utrum melius? nonne posterius? Denique in variarum lectionum conflictu, dimicationem dirimit analogia. Lib. 4. Acad. quæst. dicit Cicero; *Quid duo vel principes Dialecticorum, Antipater, & Archidemus, opiniosissimi homines! nonne multis in rebus dissentiunt?* Legunt multi cum Nizolio: opinosissimi. Utrum in spongiam incumbat? incumbant opinosissimi, & serventur opiniosissimi. Ut enim à suspicio, fit suspiciosus: ita ab opinio, opiniosus. Hactenus de analogia. E diverticulo jam in viam redibimus.

Disceptatur, an exsul rectè cum s scribatur? Negat Jul. Scaliger l. 1. de causs. LL. c. 34. Præpositionem EX, inquiens, cum vocibus, ab s incipientibus, si componas, quid facias? tollas sibilum? non enim necessarium est: namq;

namq; in x, syllaba potest terminari: sed suavitatem sequendam censeo. Itaq; commodiùs dicemus, exequor, Græcorum exemplo: qui certis locis ἐκ, aliis ἐξ, dicunt. Sed recentiores, ut sapere videantur, omnia obturbant: at nos veterum sequimur simplicitatem, qui exul scripsere, quanquam ab ex, & solo, duceretur. „ Nos affirmamus: non quidem ratione ducti compositionis: quam qui afferunt, volsellis pugnant, haud gladiis. Quot enim verba, quæ alterutram, vel etiam utramq; compositionis partem, integram non retinent? Quis scribit perjero, vel perjuro, pro pejero? quis exfero, pro effero? Sed aliunde potius movemur, ut s retineamus. Putat Scaliger, non necessariam esse litteram s post x, quia jam in ea lateat. Sed si hæc ratio firmo stat talo: cur Scaliger scribit exscribo, non exscribo, cur exspes, non expes: quod nullus vidit oculus Latinus, nulla inaudiit Latina auris? Quoad Græca ἐξ & ἐκ: dicendum, linguarum limites

non

non esse migrandos, &, quæ Græcia sibi vindicat, non illicò inferenda Latio. Hoc amplius: nulla hujus scripturæ novitas: traditur enim ab Isidoro: exsul addita s debet scribi. Orig. l. 1. c. 26. qui, ut notat Joannes Grialus ad Braulionem, mortuus sub Chintila, Gotthorum Rege, anno Christi Iↄ c xxxvi. Alios vide apud Lipf. suprà.

Eclogium] *Non elogium: quod primus docuit Lambinus. Elogium enim nec Latinis quicquam, nec Græcis significat.*

Aliter Turnebus l. 18. c. 5. sentit, quando scribit: *nullius*, inquit Suetonius c. 27. *inspecto elogio.* Multis nomen hoc suspecti sermonis est, immò verò peregrinitatis damnatum urbe Quiritium expellitur, quorum ego judicio non accedo, in causa est, quod extrita una litera c, pro eclogio elogium dici animadverti. Eclogium autem ab ecloge deducitur, hodieq; ἐκλογεῖον, apud Suidam, reperitur: atq; hæc sententia haud paulò plus ponderis

deris habet, ratione præſertim nixa, quàm illorum condemnatorum tabella, qui, ob ignorationem originis, vocem exterminare malunt, quàm Latinam agnoſcere: alii quaſi ellogium interpretantur: & unam deperiiſſe literam cenſent: & elogium derivant ab ἐκλόγιον, quod titulus & teſtatio ſit, oratione cujusq; vel vitia, vel virtutes, vel rectè facta, vel flagitia & ſcelera commemorans. Hæc cum probabilia ſint: temerè, me judice, faciat, qui tantùm ſibi juris ſumat, ut è tàm multis libris vocem, tàm diu receptam, velut quodam Prætoris interdicto, ejiciat, niſi meliorem reponat. Iſaacus Caſaubonus in h. l. Suetonii, ejusdem eſt ſententiæ cùm Turnebo. Joſephus Scaliger in Culic. Virgil. eandem retinet ſcripturam: ſed vocem ex Latina præpoſitione e, & λόγ@-, citra neceſſitatem, componit, producitq; alias, quæ ex Latinis præpoſitionibus & vocabulis Græcis ſint enata: in quibus multoties ceſpitat. E. G. Prologus deducit

ex pro, & λόγος, cur non ex περγέλαι? Hanc porrò ex diversis linguis vocum compositionem, ex Arabicis asserere laborat, vocem אַלְמַנָּה afferens, quam ex articulo Arab. אַל & Gr. μανακός, hoc est, Luna, vel circulus Lunaris, conglutinat. Sed cur non ex voce Arab. מָנָה solarium, horarium, calendarium, uti Schindlerus vertit? Quid jam statuendum? omnes tres posse stare scripturas, censendum. De elogio & ellogio satis: eclogium *Lipsio*, ex Græco ἐκλογεῖον firmum: sed ἐκλογεῖον, & sic etiam eclogium rem denotaret electam: nihil tamen absurdi, si pro laudatione rei electæ postmodò accipiatur. Invenitur & eulogium, ab εὐλογιον, apud auctores non ignobiles.

ETRUSCUS & ETRURIA] *Sine aspiratione. Fasti Capitolini, & Libri.*

Jos. Scaliger in Varron: de re rust: scribit: *ut* λίγυες, *Ligures: sic* ὄδρυες, *Etrures. Ubi o in e mutatum, more illo Romanorum antiquo. Nam veteres*

Pe-

Pelasgi, qui insederunt in Italia, ita vocarunt nobilem partem Italiæ montosam. Ita vir summus: quibus etiam innuit,[θ] Græcorum non semper apud *L*atinos th. parere. Alii scribunt Hetruria, quasi ἑτερουρία, ἀπὸ τοῦ ἑτέρου ὄρου, quod ad alteram esset Tyberis ripam, terminum *Latiæ* & Hetruriæ: alii Ætruria, ἀπὸ τοῦ τὴν αἴθερα ἀσκεῖν, propter auguriorum peritiam. Tages enim, ex hac regione oriund⁹, primus invenit aruspicinam, quæ maximo olim in honore habebatur. Sed primam in versu corripi, docet Martialis:

Quantum solicito fortuna parentis Etrusco.

Primam scripturam eligunt accuratiores.

EXSPECTO, EXSCRIBO, *exsolvo, exsurgo, exsilio, exstinguo:*] *Et hujusmodi omnia post x. s. habere debent. Docet compositio, Quintilianus, Scaurus, Cornutus. Sic apud Euthichetem exsequor,*

quor, exsecror, exsuo, exsuvia & exsisto scribuntur.

De his quid sentiendum, supra, in voce exsul, expositum. Quintiliani locus c. 12. de Orthographia; non video, quomodo ad omnia hæc quadret: cùm de verbo exspecto tantùm loquatur: *Putaverunt, illa quoque servanda discrimina; ut, ex, præpositionem, si verbum sequeretur, specto, adjecta secunda syllabæ s litera, exspecto; sed si pecto, remota s, scriberemus.* Scauri verba, quæ apud M. Rothium in face, sive lampade Orthographiæ vitiosissimè leguntur, ita habent: Cùm, *expectatus, exulet*, sine s scribuntur; scribendi ratio corrupta est: cùm alioquin, adjectâ eâ, debeant scribi; quoniam similiter, *solum, pectatusque* dicatur; &, adjectâ præpositione, salvum esse illis initium debeat. Et quanquam s in pronunciando non satis intelligitur: abjicienda tamen in scribendo non videtur.

Fr-

F.

FELIX] *sine diphthongo. Consensus Librorum, & nummorum.*

Ita scribit Festus: ita Isidorus: ita Cornelius Fronto, qui hoc ponit inter felicem & fortunatum discriminis, quod *felix ita sit natus: fortunatus cum opibus nomen accipiat: atq; ita felix naturæ bono fruatur, fortunatus commodo temporis.* Ita Perottus, qui ista de hoc vocabulo: *Felix propriè dicitur, qui prosperitatem recipit: quandoque pro pingui & fœcundo.* Unde nonnulli à fœtu derivant & per œ scribunt. Sed Camerarius illam, per œ, scriptionem inde promanasse dicit: quòd veteres fœlix, e duplici, pinxerint, quorum prius in o fuerit mutatum. Alii à Græco ἧλιξ deducunt; quòd felix sit homo floridæ ætatis; atque inde e simplex amplectuntur. Quibus possit objici: ἡλικίαν quidem, nonnunquam adolescentiam, juventutem, florentem seu vegetam ætatem.

tem, ætatis vigorem; at ἥλικα, ætate florentem significare, vix ac ne vix quidem reperiri.

FECUNDUS] *sine diphthongo, eadem monumenta antiqua.*

Perottus derivat à facio, quod fecundus sit, qui fructum facit, significetq; opimum, abundantem: Est autem frequens ℥ a in e mutatio. Scaliger ad fœtum confugit, atq; inde originem arcessit, scribitq; fœcundus: fœtum autem à Græco, φοιτᾷν formar, quod hortum serere muliebrem significabat.

FRENUM.] *Sine diphthongo. Libri & Lapides.*

Addimus rationem originis. Derivatur enim, vel à fremo, vel à frendo. Isidorus l.20.c.16: *Frena dicta, quod equos fremere cogant; vel quod equi hac frendant, id est, imprimant dentibus, vel obmordeant. Vnde & nefrendes dicti, adhuc lactantes porculi, quod nondum aliquid frendant, id est, comminuant dentibus. Hinc & faba fresa, quæ molita est.* Huc respiciunt

nostri *Germani*, quando frenum vocant ein Gebiß / à frendendo, vom beissen. *Perottus* duo affert etyma alia, quæ nostrum tamen scribendi modum non mutant. *Sunt*, inquiens, *qui frenum etiam à ferendo dictum existimant, quod equos vertat, feratq́; , quò velit.* Item: *Frenum, quod ora animalium frangat.* Quod postremum amplectitur *Becmannus*: *A frango frenum, ut quo impetus quasi frangitur animalium, aut coërcetur.* Ita Germanis etiam Brechzaum.

H.

HARUSPEX] *cum adspiratione: Papirianus & Lapides.*

Succenturiatam habemus etymologiam. *Hadrianus Junius*: *Haruspex, qui harugarum, id est, hostiarum exta & vitalia inspectat, ad cognoscendum inde futurorum eventum.* De haruga res certa. *Festus*: *haruga dicebatur hostia, cujus adhærentia inspiciebantur exta.* Longiùs abit *Perottus*: *Est etiam hara, si Servio credimus, avis*

quadam auguralis, à qua haruspex & hariolus sunt deducta, ego verò nihil usquam de hac ave memini, me legisse. Itaque potiùs aruspicem ab ara, id est, victima, quæ ad aram deducitur, inspicienda dictum existimo, neq; mihi ratio Servii obstare videtur, quòd ara Deorum primam syllabam productam habeat; aruspex verò correptam; cùm hoc in aliis plerisq; videamus accidere. Novimus accidere, & supra docuimus: sed quid opus ad aram confugere, cùm ab harugo, ut cuivis apparet, commodissimè possit deduci. Consentit *Donatus* in Phormionem: *Haruspex ab haruga nominatur, nam haruga dicitur hostia, ab hara, in qua pecora includuntur. Hara autem est, in qua pecora includuntur.*

HERES & HEREDITAS.] *Sine diphthongo: Festus & monumenta antiqua.*

Ita scribit tota JCtorum natio; Legisperiti omnes cum duce suo, Imperatore augustissimo; quibus *heres ab hero descendit, quòd heres fiat*

berius bonorum;eorum dominio,jure succeſsionis,ad ipſum translato. Nituntur *Feſti* doctrina: *Heres,apud antiquos, pro domino ponebatur. Grammatici* contrà,fontem vocis volunt verbum *hareo*; quòd, ut *Perottus* ait: *Hares hareat,hoc eſt,proximus ſit ei, cujus hares eſt.* Sed diſcimus ex *Giſanio,apud Veteres ,hereo, per e ſimplex, ſcriptum fuiſſe.* Et prætereà *de JCtorum vocabulis quis meliùs judicare poterit, quàm ipſi? niſi in luto haſitare manifeſtò deprehendantur.* Cum ipſis ergò, heres,ſcribamus.

HIEMS] *cum i Latino & ſine P,Libri,& veteres Grammatici.*

Fateri cogimur, Veteres ſcripſiſſe *hiemps.* Ita enim Varro, l.5. de *Latina* Lingua: *Anni temporis pars hiemps, quòd tùm multi himbres. Hinc hibernacula, hibernum: vel quòd tùm animæ,quæ flatur,omnium apparet,ab hiatu hiemps.* Sed, Latiniſsime Varro quomodo hiemps ſcribatur, cùm gignendi caſus fiat,hiemis? Mirè *vetus vocabularium: hyems dicitur, quaſi*

 hemys;

hemys; *quòd tunc breviori & diminuto*, *usq; ad medietatem*, *vel ultrà*, *Sol vertitur circulo*: *vel potiùs ab hyein*, *quod est pluere*. Mira enim, primò, μετωμόρφωσις, τοῦ ἥμισυ dimidium, in hemys: Deinde, quòd hyems proficiscatur ab ὕειν pluere; quod & *Perottus* vult, quando: *hyems*, inquit, ἀπὸ τοῦ ὕω, *quod est*, *pluo*, *derivatur*; *quod id anni tempus sit pluviosum*: quomodo congruit cum doctrina Physica? Ver potiùs & auctumnum regulariter pluviis generandis celebrari, experientia comprobat. *Adeò periculosum*, *imò & ridiculum*, *absque Philosophia velle Philologiam profiteri*? Dicimus ergò cum *Manutio*, cum *Martinio*, *ac aliis*, esse vocabulum merè Latinum: & ex Corvino nostro subjungimus: *si tanta libido*, *hiemem Græciæ* (*modò ibi tanta planè sit*) *vindicare*: *cur non potiùs deducunt ab* ὗς, *quia*, *ut Martinalia anseribus*, *ita hiems saginatis suibus est fatalis*. Dub. 9. Dissert. Phil. 9.



ICCIR-



I.

ICCIRCO] *per duplex c. Libri veteres, & ratio Euphoniæ. Quamvis & idcirco in lapidibus inveniatur.*

Ut dico: accumulo, accelero, accitus &c. propter leniorem pronunciationem. Qui scribunt idcircò, retento d; simpliciter rationem compositionis sequuntur: est enim idcirco, quasi id circa, ut quocirca, quasi quodcirca.

JUPITER] *unico p, Libri, nummi, & etymologia, quasi juvans pater.*

Mavult Becmannus juvo deducere à Jove: sed contra Ciceronem, contra Agellium. Ille l. 2. de nat. Deor. Ipse Jupiter, id est, juvans pater, quem, conversis casibus, appellamus, a juvando Jovem, à Poëtis pater divûmq; hominumq; dicitur: à majoribus autem nostris, optimus, maximus; & quidem antè optimus,

id est, beneficentissimus, quam maximus: quia majus est, certéq; gratius, prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Hic l. 5. c. 12. Jovem Latini veteres, à juvando, appellavere, eundemq;, alio vocabulo juncto, patrem dixerunt. Fuisse autem olim etiam p duplici scriptum; testantur itidem libri antiqui, nummi aurei, argentei, æréi, & Lapides, quibus Juppiter, q. Juvpiter, habebatur. Georg. Fabric. in l. 1. Æn Juppiter duplici litera scribitur, antiqua consuetudine, ut in nummo argenteo Neronis: Juppiter custos: & in antiquo incerti auctoris epigrammate:

Juppiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto.
Regna paterna tenent, tres tria, quisq; suum.

Grammatistæ Juppiter, duplici p, scribi asserunt tantùm in metro, ut prima producatur. sed videmus, antiquitùs etiam extra illud, ita scribi consuetum.

Idem & Isdem] *Veteres scripserunt,*

runt, pro iidem & iisdem. Carisius l. 1. Priscianus l. 1. & antiqua monumenta.

Frequens erat i gemini, in unum contractio, ab initio, ut apud sublimem & Poëtam, & Physicum, l. 2.

Quin etiam passim nostris in versibus ipsis,
Multa elementa vides, multis communia verbis;
Cùm tamen inter se versus, ac verba necesse est
Confiteare alia ex aliis constare elementis;
Non quò multa parùm communis littera currat,
Aut nulla inter se duo sint ex omnibus ISDEM;
Sed quia non vulgò paria omnibus omnia constant.

Idem lib. 5.

Nec ratione alia mortales esse videmur
Inter nos; nisi quod morbis ægrescimus ISDEM,
Atq; illi, quos à vita natura removit.

 In

In medio, ut in monumentis plus mille pervetustis: DIS MANIBUS. In fine, in multis genitivis, ut: LipsI, pro Lipsii, VossI, pro Vossii, GeorgI, pro Georgii &c.

IRRITO] *Duplici r, Priscianus lib. 2. & etymologia, â rictu canum. Quidam, ab ira, deductum volunt, sed falluntur.*

Duo sunt verba, quæ hujuscemodi litteris scribuntur, diversa autem mediæ syllabæ quantitate dignoscuntur & discriminantur. Alterum mediam habet correptam, derivaturque ab in, & ratus, ac significat irritum facere. De quo quidem, an ullibi reperiatur, nonnulli dubitant; sed dubium mox eximemus. Audiamus Imperatorem Theod. l. 2. C. de feriis: Ut in die dominico emancipare, ac manumittere liceat, reliquæ caussæ, vel lites quiescant: & à die octavo Kalendarum Julii, usq; in Kalendas Augusti, messis feria concedatur; & à Kal. Augusti, usq; in decimum

mum Kalendarum Septembris, agendarum caussarum tribuatur licentia. A decimo autem Kalendarum Septembris, usq; in Idus Octobris, Vindemialis feria concedatur. Sanctum quoque diem Paschæ, & diem Natalis Domini, & Epiphaniæ, septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur, sine strepitu volumus observari. Et quod contra factum fuerit, omnibus modis irritatur. Vetus Dictionarium: Irritare est evacuare, vanum facere, debilitare, destruere; & corripit media. Unde:

Irritet hunc Dominus, qui nos irritat ad iram.

Alterum, quo de Noster, mediam producit; quo de Perottus: Si irrito penultimam productam habet, significat incito, stimulo: vel ab ira, quasi in iram provoco, vel ab irruendo; à canum similitudine, qui in eos, à quibus provocantur, irruunt. At ab ira si formaretur; irito scribendum, quod nemo unquam factitavit.

Po-

Potiùs ergò cum Donato dicimus: Verbum, irrito à canibus esse deductum, qui, restrictis dentib⁹, r literam imitantur. Vel cum Servio: Irritare prorsus dicimus feras provocare; inde sumtum est, ut & homines irritari dicantur, cum in aliquam partem asperitatis urgentur. Alii à nom. ritus derivant, & irritare dicunt, contra ritum facere, vel in ritum scilicet malum vocare & inducere.

INTERNECIO.] *Non internicio. Priscianus l. 4. & derivatio.*

Derivatur enim ab interneco: cujus verbi participium, internectus, apud *Plautum & Ciceronem* occurrit; à quo quidem potiùs internectio, quàm internecio formari deberet; quomodo apud Festum legimus: internectio, vitæ privatio appellatur interfectio, à nece, denominato vocabulo. Sed rectè Priscianus: internectus, internecti, internecio facit, euphoniæ caussa, abjecto t. Hanc scripturam Cicero semper amplectitur. Pro domo: vicissim cum magna in-

internecione improborum. Alibi: quæ dissensiones non reconciliatione concordiæ, sed internecione civium dijudicatæ sunt.

K.

KALENDÆ.] *Per K., Sicut & Veteres in omnibus nominibus, sequente A. K. scripserunt, non C. ut: Karthago, Kaput, Kalamitas. Diomedes l. 2. Priscianus l. 1. Nolo vos hæc omnia imitari: sed tamen scire. Kalendæ rectè scribitur, quia derivatur* ἀπὸ τοῦ καλεῖν. *In reliquis autem, ut Kaput, usum sequamur.*

Idem sentiunt cum Lipsio, in hujus vocis scriptione, *Servius, Terentius Scaurus, Victorinus Afer, Lambinus*, qui sequi se nobilium Grammaticorum auctoritatem ait, veterum marmorum ac librorum testimonium, usumq; Doctorum. *Largimur* quidem sæpissimè, apud Veteres ita fuisse exaratam; rudioribus tamen istis seculis major erat vitæ cura, quàm sermonis, inquit *Martinius*,

quo-

quorum consuetudinem alii postmodò fuere sectati. Kalendas autem vocabulum facere Græcum, per nobis mirum videtur: cum Græci Kalendas non habeant, sed νεμηνίας, id est, novilunia: Unde Proverbium: *ad Kalendas Græcas*, hoc est, nunquam. Probabilius itaq; , Calendas dici, quasi calandas, à participio calandus, a, um, verbi antiqui calo, as, are, ex Græco καλεῖν, vocare, congregare: qua in re forti utimur tibicine, *Macrobio*, lib. 1. c. 15. Saturnaliorum: " Priscis temporibus, antequam fasti, à Cn. Flavio scriba, invitis Patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ lunæ primum observaret adspectum: visamq; Regi sacrificulo nuntiaret. Itaq; sacrificio, à Rege & minore Pontifice, celebrato, idem Pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe, juxta *Curiam Calabram*, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies à Calendis ad Nonas superessent, pronun-

nunciabat: & *quintanas quidem quinquies, dicto verbo* καλῶ, *septimanas, repetito septies, prædicabat.* Verbum autem autem καλῶ *Græcum est, id est, voco:* & hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit, Calendas vocari. Hinc & ipsi Curiæ, ad quam vocabantur, Calabræ nomen datum est: & Classi, quod omnis in eam populus vocaretur. „Quin & Varrone l. 5. de L. L. qui " Primi, inquit, dies mensiũ nominati, *Calendæ, ab eo, quòd his diebus calentur* ejus mensis Nonæ à Pontificibus, quintanæne an septimanæ sint futuræ in Capitolio, in Curia Calabra sic dicta, *quinq;* (aut ut alii legunt) *quinquies calo Juno novella: septem* (aut ut alii legunt) *septies calo Iuno novella.* Sunt tamen, quibus placeat ita emendari: *dies te quinq; calo Iuno novella: septem dies te calo Iuno novella.*„ Quod ista attinet: Veteres in omnibus nominibus, sequente A. K. scripsisse: respondemus Lipsio Juniori, ex Lipsio Seniore: " quòd nonnulli usum &

lo-

locum ei faciunt, quoties A excipit: ut in Kaput, Karina, Karthago, ac similibus: novitia ea regula, sed & falsa. Fateor, sæpe locum ante A habere, imò vix alibi: atq; ita in Lapidibus lego: Karus, Kastitas, Parkarum, Palikanus, Evokatus, Dedikaverunt: sed sæpiùs aliter, & firma non ei sedes, nisi in notis. c. 14. de recta pronunciatione L. L. „ K enim solitarium trium vocum fuisse notam, discimus ex Terentiano Mauro, metro de syllabis, p. 33. edit: Sanctandreanæ, Anno M DC XXCIV.

"K Similiter otiosa cæteris sermonibus,
Tunc in usu est, cùm Kalendas annotamus, aut Kaput;
Sæpe *Kæ*sones notabant, hac Vetusti littera. „

Martianus Capella tamen pro *Kæ*sones ponit *K*alumnia. *Nonnulli* etiam, quod *K* includeret vocalem A; non *Karthago*, *Kalumnia*, *Kaput*, *Kalenda*, scribebant: sed *Krthago*, *Klumnia*, *Kput*, *Klenda*; quemadmodum

dum *Bne* pro *bene*, *Ptre* pro *Petro*: quod B & P, e in se, continerent. *Verum* enimverò si in legendo & scribendo, a in K, e in B, & P. &c. debet attendi; cur lego scriboq; : bonus, pono, vocalibus neglectis? Etenim, si propterea scribo *K*rthago, quæ in *K*appa nomen includit vocalem illam: ea consonans nulli præterea voci, ab aliis vocalibus incipienti, apponetur: hoc autem falsum esse, vel ipsi ostendunt Græci, rectè docet *Scaliger* Pater.

Concludimus jam cum Lipsio, l. d. "*K*. littera Græcanica mera est, & in Latium venit, non ob usum, sed ob luxum. verè enim superfluit: & saniorum litteratorum nemo id negavit."

L.

LETUM] *Sine Diphthongo & aspiratione. Prisc. l. 9. & Festus.*

Priscianus ita scribit: "Letum ipsa res, quæ delet vitam, quasi à leo simplici, quod in usu non est, profertur.

tur. „ Fuisse autem olim in usu, comprobat præteritum levi, quod nos jam verbo lino subjungimus; & composita eleo, deleo. Eleo apud Nonium: elevit, maculavit. Lucia l. 6: Si hic vestimenta elevit luto: ab eo risum magnum ad cachinnum imprudens subjicit. Deleo nonnulli à de, & oleo, derivare volunt, & o absorberi ajunt, ut in proles, quasi prooles, & demo, quasi deemo: sed longiùs abeunt, & exempla proferunt alieniora. Probare debebant, e & o in compositione contrahi in o: & afferunt, ubi duo o in unum, & duo e itidem in unum e complicantur. Perottus: letum à leo derivatur, quo veteres usi sunt, pro deleo: quia mors omnia delet.

Festus sine Diphthongo quidem, & aspiratione scribit, sed à Græco, λήθη, deducit; idq; cum Varrone, qui: " Ollus, inquit, leto datus est: quod Græcus dicit, λήθῃ, id est, oblivioni. „ Veteres enim, vitandæ δυσφημίας & mali ominis, ipsum mortis vocabulum,

lum, quantum poterant, vitabant; &, quemadmodum abitionem pro ea usurpabant: unde, vixit, abiit, pro mortuus est; (ut apud Tertullianum: si de aliquo, jam pridem defuncto, tanquam vivo, quis requirat, præ manu occurrit dicere; abiit jam & reverti debet.) ita λήθην etiam, sive oblivionem pro eadem adhibebant. Scribendum autem esset, ratione hujus fontis, lethum, cum aspiratione. Perottus satis audacter: " Quidam à λήθη lethum, cum mortem significat, deductum putant; quòd morientes omnium oblivione capiantur. Sed falsum est. „ Mitius Scaliger ad *Varronem*: *Verisimilior est Prisciani opinio; Varronis*, acutior. Cùm utraque scriptio nitatur Auctoribus, satis gravibus; neutra omninò improbari debet. Sciendum tamen, letum, absque h, in MS. antiquissimis ac monumentis, sæpissimè reperiri: quod quidem originationi Græcæ vix derogabit; cùm *apud Veteres illos Latinos certa scribendi*

ratio

ratio in iis non fuerit, quæ à Græcis deducebantur, ut notat *Manutius*: & nos supra ex Scalig. docuerimus, in voce Etruscus, ϑ *Græcorum non semper ib. Latinum parere.* Ridiculi sunt, qui omnia ad Antiphrasin referunt, & lætum, quasi minimè lætum, dici contendunt. Qua enim ullius eruditi auctoritate nituntur?

LAGRIMÆ] *sine aspiratione, & simplici I, vel V.*

De aspiratione quædam supra diximus, in voce vehemens. Quandoquidem verò carmen Catullianum ibi omisimus; hoc loco addemus, quòd quàm munifici fuerint veteres, in apponendis aspirationibus, ostendet:

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere; & hinsidias Arius insidias;
Et tùm mirificè sperabat, se esse locutum;
Cùm, quantum poterat, dixerat hinsidias.

Cre-

Credo sis mater, sic Liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerit, atq; avia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leviter.
Nec sibi post illa metuebant talia verba,
Cum subitò affertur nuncius horribilis:
Jonios fluctus, postquam illus Arius isset,
Jam non Jonios esse, sed Hionios.

Derivatur quidem ex Græco δάκρυον, vel δάκρυμα potiùs, unde dacryma, quod occurrit apud Livium; sed genere mutato; quemadmodum fit in glavcoma, & schema, quæ à Græcis neutris proveniunt: apud Latinos autem & fœminino genere usurpantur. Porrò, D & L, litteræ erant εὐμετάβολοι, hoc est, facilè inter se commutabiles. Hinc *Dingua, Cadamitas, Dacryma*; & *Lingua, Calamitas,*

 La-

Lacrymæ, ut *Priscianus* observat: pro *præsidio*, *præsilium*, *Victorinus*: *Cassilam*, pro *cassida*, Festus. Quin & *gallinam melicam*, pro *medica* Varro scripsit. Lips. l. 1. Antiq. Lect. Præterea ex origine hac Græca aspiratio esset omittenda: "Sed H litteram, sive illam spiritum magis, quàm litteram, dici oportet, inserebant Veteres nostri plerisq; vocibus verborum firmandis roborandisq;, ut sonus earum esset viridior vegetiorq;. Atq; id videntur fecisse studio, & exemplo linguæ Atticæ. Satis notum est, Atticos ἰχθὺν, ἵππον, multa itidem alia, citra morem gentium Græciæ cæterarum, inspirantes primæ litteræ, dixisse. Sic lachrymas, sic sepulchum, sic ahenum, sic vehemens, sic inchoare, sic hallucinari, sic honera, sic honustum dixerunt. In his enim verbis omnibus litteræ, seu spiritus istius nulla ratio visa est, nisi ut firmitas & vigor vocis, quasi quibusdam nervis additis, intenderetur, ut Agellius habet, lib. 2. c. 3. „ De I & V constat; quòd

per utrumq; aliquando lacrima, vel lacruma fuerit scripta. *Y enim Græcorum*, ut in δάκρυμα, *mutari persæpe in V Latinum, exempla testantur plurima; cumprimis verò, quando rei postulat magnitudo, quam V repræsentat. Alsted.* c. 11. Rhet. I. itidem haud rarò pro Y, substituebatur. Nec enim, ut scribit *Tullius* in Oratore, Græcam litteram adhibebant, sed præter multa alia, Fruges, pro, Phryges, Purrum, pro, Pyrrhum, pingebant: atque ita etiam lacrymam, vel lachrymam. Quævis harum scriptionum habet, quos sequi possimus: Cicero autem d.l. magis eam approbat, qua lacrymam exaramus.

LITUS] *unico T. Libri veteres, & Etymologia. Quia proficiscentes & revertentes solent ibi vota concipere. Priscian. lib. 7.*

Sic vetus vocabularium: Litus dicitur à lito, quod est, sacrifico, quia marinarii, periculis marinis liberati, solent diis marinis litare. Unde dii litorales, quorum curæ litora erant

commendata, vel quibus in litore solerent litare. Catull.

Neq; ulla vota litoralibus diis
Sibi esse facta, cùm veniret à mari.

In eadem hæresi est Donatus: quem tamen Servi⁹ refutare conatur: Hoc, inquiens, non valet, quia prima hujus nominis, litus, producitur: unde Ovidius:

Non profecturis litora bobus arat.

Sed prima huj⁹ verbi, lito, corripitur. Quod fundamentũ est stramineum. Multa enim à primitivis brevibus producuntur; & vicissim à longis corripiuntur, ut: Lŭcerna, à lūceo, pronŭbus, â nūbo; mācero, à măcer, lēges, à lĕgo, dŭces, à dūco: quorum magnum vide catalogum apud Rhenium in Grammat. pag. 563. Giesens. in Prosod. p. 21, 22, 23, 24, 25. Zehner. p. 32, 33.

Perottus litus maris, docet, propriè dici definiriq; à Celso, quousque maximus fluctus à mari pervenit, idq; Marcum Tullium primum constituisse, cùm arbiter fuisset electus.

Alii,

Alii, à linendo, deducunt, quod maris fluctibus linatur, sive perfundatur. Scaliger pater ex Græco λιτὸς; quod terra sit tenuis. l. 1. de causs. L. L. c. 26. Vide Franciscum Floridum, Sabinum l. 1. lect. subcis. c. 10. Extant Tom. 1. Facis artium liberalium Jani Gruteri.

LITTERÆ] *duplici T, sive in prosa, sive in versu. Libri veteres, & Lapides.*

Veteres ut plurimùm ita scripsisse, fatendum est: atque ita etiamnunc eruditi scribunt plurimi: quibus obstat *Etymologia*; sive ea ab *Isidoro* petatur, sive à *Scaligero*, sive *ab aliis*. *Isidorus* dictas putat *quasi legiteras*, quòd iter legentibus præstent, vel quòd in legendo iterentur: alii *à lino*, quòd fiant linendo, id est, ungendo chartam, figuris literarum diversis; vel quòd liturâ possint deleri, cùm antiquitus plerumque in ceratis scriberetur tabulis, sique displiceret, litura obliteraretur. *Scaliger* non à lituris format literas, quòd delerentur:

prius enim factas, quàm deletas esse: *Formæ autem potiùs atq; ὕλης haberi rationem, quàm interitus.* Primùm verò dictas asserit lineaturas, exemtis deinde, ex prisca nominis origine, aliquot elementis, literas: unde constet, Veteres literam non rectè, quasi legiteram, commentos esse: ut extrema pars vocis ab itinere fingatur; ac præterea, non geminata consonante, ut consuevere, scribi debere: sub sua namque originis forma primam producere.

M.

MESSALLA] *Duplici L. Monumenta antiqua. Cognomen gentis Valeriæ.*

Dictus Valerius Corvinus primò Messana, quòd florentissimam Siciliæ urbem Messanam vicisset ac cepisset. Joh. *Bond.* in Sat. 2. Pers. *Facilè enim, ex aliquo accidente, cognomina olim imponebantur.* Ita *Cornelius*, qui patrem, luminibus carentem, pro baculo regebat, *Scipio cognominatus*: *Tremellius*, *Scropha* appellatus; quòd, cùm

cùm esset cum familia atque liberis invilla,servi ipsius scropham, de vicino errantem, surriperent conficerentque. Vicinus autem omnia, advocatis custodibus, circumibat, nequà hæc offerri posset: adque Dominum appellabat, restitui sibi pecudem. Tremellius, qui ex villico rem comperisset, scrophæ cadaver sub centonibus collocabat, super quos uxor cubabat, quæstionem vicino permittens. Cùm ventum esset ad cubiculum, verba jurationis concipiebat, *nullam esse in villa sua scropham,nisi illam,quæ in centonibus jaceret,lectulum monstrans.* Ea facetissima juratio, Tremellio Scrophæ cognomen dedit. Macrob. Saturn. l. 1. c. 6. Ita P. Lentulus exquæstor, cùm Sulla rationem ab eo pecuniæ publicæ repeteret, quòd dixisset ingenuè: se non posse rationem reddere, sed præbiturum suram; ut pueri solebant, qui in pilæ ludo peccâssent: statim L. Sura dictus est. Apud Cornelium Tacitum, promiscuus miles

Centurioni Lucilio, militaribus facetiis, vocabulum: Cedò alteram: indidit: quia fracta vite (vel baculo) in tergo militis, alteram clara voce, & rursus aliam poscebat. *Aurelianus*, postea factus Imperator, cùm esset gladii exercendi peritus cupidusque, vocatus fuit: manu ad ferrum: ut, cùm duo essent Aureliani in exercitu, & forte quæreretur, uter fecisset, subjiceretur: Aurelianus manu ad ferrum. Vide pulcerrimam animadv. 2. in cap. 5. Agelli CL. Philippi Caroli.

Sed ad rem. Qui primò appellatus fuit Messana, vulgo paulatim literas permutante, dictus fuit postea Messala; tandem, conciliandæ pronunciationi gravitatis, Messalla: quomodo legitur elegia, jam olim Virgilio adscripta:

Ille, quo primùm dominatus Roma superbos
Mutavit, placidis tempore consulibus.

Mul-

Multa, neq; immeritis donavit præmia alumnis,
Præmia Messalis maxima Poplicolis.

Apud Rutilium Numanitanum:

Hac quoq; Pieriis spiracula comparat antris,
Carmine Messallæ nobilitatus ager.

N.

NEGOTIUM] *per T. Deducitur enim ab otio.*

Negotium, inquit Festus, quod non sit otium. Hoc est, quasi nec-otium. Mutatur, ob euphoniam, C. in G., ut in quingenti, quod ex quinque, & centum componitur. Quid si verò quidam otium derivent ab ocius, id est, velocius, & per C scribant ocium, κατ' ἀντίφρασιν, quasi minimè velox? Delipiant hi sapientes, minimè sapientes, quantum satis sibi duxerint. De antiphrastica hac prurigine, in voce letum, diximus. Faciamus cum Jul. Cæs. Scaligero, qui ex Græco ὠτίον, auricula, deducit: quòd,

 qui

qui otiatur, aures habeat vacuas ad audiendum, vel plerumque in aurem dormiat. Germani ferè cum hac origine conveniunt, quando otiari vocant auffhören.

NUMQVAM, NUMQVIS, QVAMQVAM] *& similia per M. scribi debent. Priscian. l. 1. & Victorinus.*

Abunde monumentorum & testimoniorum allegat Aldus.

Victorinus quomodo huc possit pertrahi, non video: potjùs aliam eligit scriptionem per N. Sed verba, etsi tenebricosissima, quid obstat, quò minus adjiciam: Has voces, Nonnunquam, nunquam, nunquid, quanquam, unquam, sæpe rectè scriptas relinquitis: aliquando enim in m commutatis, Numquam: pro n facitis m. Quid igitur in posterum debeatis observare, attendite. Clari in studiis viri, qui aliquid de Orthographia scripsere, omnes ferè ajunt, inter m & n literas, me-

mediam vocem (i. sonum medium) quæ non abhorreat ab utraque litera; sed neutram propriè exprimat, tàm nobis deesse, quàm Græcis: cùm illi Sambyx scribunt, nec m exprimere, nec n. Sed hæc ambiguitas in his fortasse vocabulis, sicut in Ampelo, Lycambe: nam in nostris suprà dictis non est: quia non inter m, & n, medium sonant, unquam, & nonnunquam & similia; sed inter n & g. Nam & Græci cum scribunt ἄγγελος, ἄγχος, ὄγκος, & similia; si syllabam An sequatur syllaba, quæ initium habet à g & à c, convertunt n literam in g, & pro n, g scribunt, ut: ἄγγελος, ἄγχιστα, ἄγκυρα: cùm inter m, g medium sonet vocis productæ: non, ùt aliis videtur, inter m & n. Quoniam in copulatione syllabarum familiarium & nobis habenda ratio est: n quàm g potiùs scribetis, nonnunquam, quanquam & similia. Nam si inter m & n esset disputatio nobis, quæ in aliis quidem verbis, in suprà dictis autem non est:

commodiùs crede, acturos esse, receptæ auctoritatis viros, si hanc potiùs redderent rationem: ne duæ partes orationis, quæ junctæ, voces confundunt (i. quæ in compositione nonnihil mutilantur) integrè scribantur. L. 1. c. de Orthogr. Unde apertissimum, nunquam, quanquam &c. Victorino placuisse. Quò pertinet regula Grammaticorum: m sequente c, d, q, t. mutatur in n, excepta enclitica Que, quæ nihil mutat. Rhen. pag. 57. 58. Paralip. Grammat: Vel, ut Giessenses: m, ante d, t, c, q, propter Euphoniam à multis mutari solent in n.

O.

OPTINEO] *per p, non b. Quintilian. & libri antiqui.*

Quintilianus pro Nostro parùm faciet. Ita enim ille: Quæri solet in scribendo, præpositiones sonum, quem junctæ efficiunt, an quem separatæ, observare conveniat, ut: cum dico obtinuit. Secundam enim

B literam ratio poſcit, aures magis audiunt P. Lib. 1. cap. 12. Huic aurium ſono nonnulli olim ſcriptores & ſculptores paruerunt. Sic in tabulis antiquiſsimis Fulvianis: APSOLUTUS. ESTO: item: QVEICUMQVE. VOLET. SUPSIGNET: & in Lapidibus vulgò: APSENS: OPSIDES: PLEPS: POPLICUS: ac talia. Lipſ. c. 12. de recta pron: L. L. Ad facilem hanc literarum harum permutationē reſpexit Feſtus, quando: braſsica, inquit, à præſecando dicta. Benè igitur Terentius Scaurus: B cum P conſentit: quoniam origo eorum, non ſine labore, Conjunctiove revelli à quoquam poteſt. Græci πυῤῥίαν, noſtri Burrhiam: & quem Pyrrhum, antiqui noſtri Byrrum: balatiam, palatium. Item poplicolam, boblicolam alii: Scapillum, alii Scabillum dicunt. Nec diſsimile, quod Plutarcho notatum, Delphenſes B. pro Π uſitatos eſſe: quorum fuit βατεῖν & βικρὸν, pro πατεῖν & πικρὸν. Etſi autem olim permutatio iſthæc viguerit: ſe-

culis tamen succedentibus est antiquata, nec ab eruditis usurpata, quos meritò sequimur.

OPORTUNUS] *Vnico P. Libri veteres & Festus.*

Festus ita: Oportunè dicitur ab eo, quod navigantibus maximè utiles, optatiq́ue sunt portus. Sed alii legunt ibi: opportunè, p duplici. *Perottus*: *Oportunus*, quod per duplex p scribitur, non ab opere deducitur, sed ab ob, præpositione, & portus. *Mutatur autem b in p, ut in suppeto.* Scal. de L. L. c. 34. *Gifanius* de hoc nomine: Non intelligunt vulgò, quid vox hæc egregia *oportunus* valeat. Ferè idem valet, quod utilis, sed tamen quid amplius: aut idoneus, id est, egregius, præstans. P gemino itidem scribit *Lucretius*:

Utilis invenietur, & oportuna cluebit. L. 3.

Opportuna fuit si fortè, & idonea flammis. L. 6.

Hinc, ubi quaq; loci regio opportuna dabatur. L. 5.

De-

Deniq; Aldus etiam ad veteres provocat libros, ubi p. gemino scribatur: quod retineamus.

OPPERIOR] *Duplici p, Festus & Libri.*

Veteres membranæ in aliquot Terentii vocum explicatione: *Operior, expecto.* Accedit compositio. *Priscianus* enim tradit, quibusdam ex *ob,* & antiquo *perior,* Act. *Perio*, componi: unde participum *peritus*, & aliud compositum *experior*, frequentetur. Lib. 8. Procul abit Perottus, quando ab ob, & pario deducit, ut sit, quasi partum differo.

OTIUM] *per t. Eutyches.*

Vide paullò antè: Negotium.

P.

PÆNE] *Id est, ferè, cum æ in principio. Monumenta omnia antiqua, & honestatis ratio.*

Ita Libri etiam veteres. Plurimi autem hac tempestate pene, e simplici, scribunt: nonnulli etiam quasi pele, à Græco πέλας, prope, dictum volunt;

rebatur, sed mixto quodam, suaviquè sono; quemadmodum Galli exprimunt, paix, pax; fais, onus; jamais, nunquam. Videatur *Noster* c. 11. de R. Pron. L. L. Honestatis ratio, in pronunciatione, nobis jam usitata, non apparet: eundem enim sonum audis, sive pænè dicas, sive penè. Nec cum Ulysse, ceram auribus, inclamant, quibus impollutus est animus; si verba aliquando ejusmodi commemorentur prętextata. Licet igitur, honestatis ratione commot⁹, scribas pænè, pro penè, atq; ita oculos non lędas; tamen lędes, si pronunciaveris, aures luculentas. *Eadem* autem *culpa tenentur, qui oculos lædunt, & qui aures præsentium*: quod *Archytæ Philosopho* exprobratur, qui τὰ ἄχσγμα τῶν ὀνομάτων horrebat, &, postulante dicendi ordine, ut è scena aliquid promeret, linguæ frenum injiciebat, perscripto, quod eloquendum erat, in pariete. *Phil. Carol. in Crit.*

PARRICIDA] *Duplici r, non patricida, quod Lambinus excogi-*

tavit. Priscianus l.1. Parricida, inquit, si à pari deducitur (id est, qui parem occidit) r interponitur, Euphoniæ caussa: sin à patre, t in r mutatur.

Integra Prisciani verba sic habent: Parricida vel à pari componitur, vel, ut alii dicunt, à patre. Quibusdam tamen à parente videtur esse compositum; & pro parenticida, per syncopen & commutationem. *Scaliger* de causs. L.L.c.34. T mutatur in R, si à patre, non à parente, fit parricida: sed hoc plus placet nobis. A parente derivat etiam *Isidorus*: Parricidii, inquiens, actio non solùm in eum dabatur, qui parentem, id est, qui patrem vel matrem interemisset: sed & in eum, qui fratrem occiderat: & dictum parricidium, quasi parentis cædium. Quæcunque præpolleat Etymologia, nobis sufficit, hosce omnes scribi velle parricida: quomodo in omni re capitali olim ponebatur; parricida esto, id est, capital.

tal esto, vel vitâ privator. Et Valerius Maximus duplex R. fuit amplexus: " Tarquinius autem Rex, M. Tullium, duumvirum, quòd librum, secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum, in mare, abjici jussit: idque supplicii genus non multò post parricidis lege irrogatum est. „ Veteriores quidem paricida scribebant: quod tamen, Festi jam ætate, exolevit, qui: " Homo sacer is est, quem populus iudicavit ob maleficium, neque fas est, eum immolari; sed qui occidit, parricidii non damnatur; nam lege Tribunitia prima cavetur: SI QVIS EUM, QVI EO PLEBISCITO SACER SIT, OCCIDERIT, PARRICIDA NE SIT. In lege hac, quæ multò ante Festum fuit sancita, r gemino scribitur: cum quo tamen hodie faciendum non est.

PELLEGO & PELLUCEO] *Sine R, Priscianus l. 2.*

Audiamus de his Scaligerum: R mutatur in L. hoc autem usu, non lege, factum est: Nam interluo & subterlabor, & perlitus, & superlativum. At Politianus, cùm mavult pellego, videbatur in hoc, ut in cæteris sibi, non posse esse princeps literarum, nisi solus esset: sed aliunde poterat divinum ingenium sibi parere gloriam, quàm ex deformatione Latinæ puritatis. „ c. 34. de L. L. Perlego & perluceo arrident Ciceroni, Plinio, Martiali, Columellæ, Ovidio, Plauto, Quintiliano, Virgilio. Unde docent Grammatici: R in compositione manere, exceptis paucissimis, ut: intelligo, pelluceo, pellex, pellicio. Nonnullis tamen, εὐφωνίας χάριν, placet pelluceo & pellucidus. Nos stemus à partibus istorum Heroum.

PRÆSTULOR] *id est. expecto: per* U, *sicut osculor. Valerianus, Probus & Eutyches.*

Osculor propterea per U scribitur, quia ab osculum, quod est, quasi parvum os: quia, in suaviolis, os ad-

mo-

motum minuimus & coarctamus. In Præstolor sequi malim antiquiores, Cicero: Ego huic spei & expectationi, quæ præponitur, maximè volui præstolari in Epiro. Plautus: Nescio quem præstolata est: credo, militem. Terentius: Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium. Festus: Præstolari dicitur is, qui antè, stando ibi, quò venturum excipere vult, moratur. Nonius Marcellus: Præstolari, est expectare, vel manere. Idem: Præstolat, pro præstolatur. Turpilius Pedio: Ego præstolabo illi. Addatur Etymologia, quam desumimus ex Scaligero in Festum: " Præstum à Veteribus erat in usu, à quo remansit præstò adverbiale, ὑποκορισικῶς præstulus, vel, ut antiqui scribebant, Præstolus, Inde præstolari. Præstus seu præstulus, ἐπίμονος, προσκαρτερῶν, προσλιπαρής. Pro quo præsens usitatum. ,, Mirificissima sunt, quæ vocabularium Catholicon de hac voce prodidit, quæ audituri,

--- *risum teneatis amici*.

Præ-

Præstolor,ari,id est,expectare, & dicitur à præ,& stolon. Propriè ille dicitur præstolari,qui præmissus exspectat. Licet generaliter ponatur pro expectare. Sed cum præstolor producit penultimam, mirum videtur, si componatur à stolon, cùm Epistola,ab eo compositum, penultimam corripiat. Ideò alii dicunt, quod præstulor componitur à præsto, & olim, quòd, qui præstolatur alium, exspectat eum, dum præsto est. Et præstolor,in eodem sensu, construitur cum dativo & accusativo. Idem enim est,præstolor tibi,quod præstolor te. Ita dicit Huguitio. Multi tamen dicunt, quod præstolor potest ultimam corripere & producere in diversis significationibus. Unde in Græcismo (*Eberhardo Græcista Bituniensi*) dicitur:

Præstolor exspecto,præstolor quærere dico.

Et hoc contingit ex diversa compositione, secundum istos. Nam præstolor,id est, exspecto, componitur à

præ,

præ, & ſtolon (στόλος, profectio) quod eſt miſsio: ſed præſtolor, id eſt, quæro, componitur ex præ, & telon (τῆλε, longè procul) quod eſt longum. „ Ecce ſtolones monaſticos! Ejusmodi proferunt hi fratres ignorantiæ nobis etymologias, qualis illa, qua Dialecticam derivant à δύο duo, & lectica, quòd duos, in eadem lectica ſedentes, diſputare doceat. Nic. Hunnius D. in Canon. pag. 318. Scire autem debebant, Etymologias ex diverſis peti linguis non debere V. ſupra Eclogium.

De quantitate ſyllabæ mediæ in præſtolor, ſententiæ variæ. Apud Ambroſium Calepinum edit: M DC V. legimus, illam produci; edit: M D IX. corripi. Quæ ſententia hæc poſterior eſt verior, cùm occurrat apud Terentium, verbis modò poſitis:

Quem præſtolare, Parmeno, hic ante oſtium:

apud elegantiſsimum Buchananum:

Mens victa tantis jam fatiſceret malis,
Nî ſpes foveret me tua

Bu-

Benignitatis, post labores anxios,
Mox affuturum gaudium:
Vivusq; vivos inter ipse commoda
Vitæ beata præstolor. Psal. 27.
Adde Becmannum Cl. de Orig. L. L. pag. 723.

PLERUMQVE & PLERAQUE] *sine Diphthongo. Priscian. lib.* 4.

Festus: Plera dixisse antiquos, testis est Pacuvius, cum ait: Plera pars pessum datur. Formatur ex Græco πλήρης, plenus, perfectus: Plerus enim copiam quandam significat, vel, ferè omne. Vet: Vocabular: Plenus, frequens, ex majori parte. Hinc jam plerusque pleraque, pleraque, & usitatius, in numero multitudinis: plerique, pleræque, pleraque: ubi que notat ellipsin, quasi dicas pleri & pleri, propè omnes, & sanè propè omnes. De locutione: plerique omnes: Vide festivissimos Weitzi commentarios in Ter. pag. 19. quibus debeo plurima, quorumque Auctori domum opto tutam, amicos fideles,

vitam

vitam prolixam, & quæcunque boni viri vota postulent.

PAULLUM & PAULLULUM] *Duplici L. Scaurus, Libri & ratio Etymologiæ. Pro eo, quod est pauxillum.*

Scaurus in libello de Orthographia scribit: Sine dubio peccant, qui paullum & paululum, per unum *L.* scribunt; cùm alioqui prima positio ejus, duplici hac litera, enuncietur, pollum & posillum: quod enim nobis jam est paullum, antiquis fuit pollum, quod nobis Paullus, illis fuit Pollus: nam a in o, & è contrario o in au, sæpè sunt mutata. At obstat Priscianus: qui unicum hîc l, ut & in causa unicum s, postulat; quòd Diphthongus consonæ, post se positæ, geminationem non patiatur. Quod causam attinet, de ea ita Pontanus: " Prisci illi, qui Latium etiam ante Aborigines tenuere, plerique in cavernis habitabant, quæ à cavando essent dictæ: iis autem & æstus cave-

bant & frigora, pleraq; etiam alia incommoda, in illisq; se & sua cautiùs tutabantur. Qua ère verbum caveo ab iis deductum; quodq; in caussa ipsa cavisse oporteret, inde ab initio dicta cavissa: post verò subtracta vocali caüssa, nomine ipso adhuc tres syllabas retinente. Postremò prima ac secunda syllaba, duabusq; illis vocalibus, literis in unum collectis, vox ipsa facta est disyllaba, ac nihilominus duplex s mansit: quod tandem, leniendæ vocis gratiâ, simplex evasit: quando duplex ipsum, post au diphthongum, sonaret horridius; præsertim c consonante, diphthongum præcedente. „ Provocat Noster ad Etymologiam, quod sit paullum, quasi pauxilium; unde duplex l promanet: sed contra Ciceronem in Oratore, qui: Quin etiam, ait, verba sæpè contrahuntur, non usus causa, sed aurium. Quomodo enim vester Axilla, Ala factus est, nisi fuga literæ vastioris? Quam literam etiam è maxillis & taxillis, & vexillo & paxillo,

con-

consuetudo elegans Latini sermonis evellit. Edit: Gothofredi Tom. 1. p. 374. C. Ergo, quemadmodũ pro maxilla dico malam, pro taxillo talum, pro vexillo velũ, pro paxillo palũ: ita eleganti consuetudine Latini sermonis dicamus etiam, pro pauxillo paulum, non paullum. Hanc nostram per unum l scriptionem approbat Scaliger: P Græcorum, inquiens, mutatur in L, ut παῦρον paulum: sed potiùs est diminutivum cap. 28. de L. L. Quomodo verò diminutivum? an, si cum Perotto dicamus: Paulum à parum: unde postmodò pallum, & diphthongo, alterum L exclusum, compensante, paulum? an verò quid aliud?

POSTUMUS] *Sine adspiratione, contra Etymologiam. Libri & Lapides. Postumus, qui postremo loco natus est; superlativus antiquus à post: nec aliud, quàm postremus significat.*

Contra Etymologiam, scilicet

quam Noster erroneam judicavit, qua dicit Isidorus: Posthumus vocatur, eò quod post humationem patris nascitur, id est, post obitum. Carol. Sigonius de nominibus Romanorum: Posthumus, qui post humatum patrem est natus. Etsi autem & Varro & Festus asserant, postumum esse, post patris mortem natum, atq; adeò ad post & humum respiciant; absq; tamen adspiratione scribunt. Ita & Plautus Aulul. Act. 2. sc. 1.

Post mediam ætatem, qui mediam ducit uxorem domum;
Si eam senex anum prægnantem fortuitu fecerit;
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero: postumus?

Ulpianus in l. 3. ff. de Carbon. edic. Si paterfam. ita instituerit: postumus heres est, vel, postuma heres esto. Paul. l. 3. sent. Tit. 4. Talis est postumorum institutio: Si qui post mortem meam postumi nati fuerint, heredes mihi estote. " Postumus

mus tamen, ut docet Turneb. libr. 18. c. 1. censetur etiam, qui post factum testamentum natus est, etiam vivo patrefamiliâs: sed & qui post alios liberos ultimusq; gignitur: quomodo libr. 6, Æneid. accipiendum censeo:

Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles,

Sequitur enim explicatio:

Quem tibi longævo serum Lavinia conjux,
Educet silvis regem regumq; parentem.

Atq; hanc sententiam meam confirmat eruditissimus Poëta, Ausonius, epist. 14. ac postumum explicat supremum,

Ut quondam in Alba mœnibus
Supremus Ænea satus. ,,

Vide eundem l. 10. advers. cap. 23.

Ob hosce significatus à post & humus derivari non potest: sed satius potiùs à post, postumus; ut fit ab extra extremus, quod docet Goclenius: vel à poster⁹, cujus superlativum, pro

poſtremus, ſtatuit poſtumus, Nicodem. Friſchlinus.

PROMUNTORIUM] *per u, à prominendo. Videatur Turnebus l. 3. adverſ. c.* 18.

Hic promit talia: Promuntoria cùm prominentes ſint in mare rupes, unde per u ſcribi hæc vox debet, ut veriloquium demonſtrat. Non enim à monte, ſed à prominendo deducitur: idq; & libri præferunt antiqui: & me docuit *Gulielmus Peliſſerius Montiſpeſſuli Epiſcopus.* In *Livio* tamen eminens & editiſſimum in Alpibus jugum, promontorium, appellatur. Prægreſſus, inquit, ſigna Annibal in promontorio quodam, unde longè ac latè proſpectus erat, conſiſtere, juſtis militibus, Italiam oſtentat. *Iſidorus* itidem à prominendo derivat: nihilo tamen minus ſcribit promontorium: Commune eſt inſulis, ut promineant: inde & loca earum promontoria dicuntur. Lib. 14. c. 7. Cicero, Cæſar, Plinius, alii cum per o ſcripſerint, eos ſequamur; ſive

sive à monte, sive ab eminendo vellin: deductum. Quamvis enim ab hoc posteriore formes; nihil tamen video, quod u mihi persuadeat.

PROCONSUL ET PROCONSULE] *utrumq́ue. Videatur idem Turnebus lib. 4. c. ult.*

Verba ejus sunt: Cum proconsule *Gellius* vocetur; hoc vocabulum de iis solitum dici tum fuisse videtur, qui extra ordinem, velut consulis loco, mitterentur; cùm interdum nec ex consulatu mitterentur, nec unquam consules fuissent: quando, quod nunquam anteà factum fuerat, ut ait Dio, & consularibus, Ciceronis ætate, provinciæ consulares mandatæ sunt, proconsulesq́ue vocati sunt. Proconsule contra Sertorium scribit missum esse Pompejum, pro lege Manilia Cicero. Videntur tamen tandem proconsulem & proconsule eodem modo dixisse, atq́ue, *si Divo Augustino credimus*, (*in libro de Grammatica*) proconsul olim dice-

batur, postea proconsule. Ejus verba sunt: Ab E litera vocali, nullum Latinum, nisi juncta præpositione, masculinum invenitur: ut proconsule, proprætore. Ergo juncta præpositione fiunt Latina, ut dixi, proprætore, proquæstore. Nam veteres nominativo casu proconsul dicebant, attendentes, nullum nomen Latinum exire in E literam, nominativo casu, generis masculini. Contrà Scaliger. Proconsul consuetudine extortum fuit; erat enim per initia, proconsule. Uter à vero deviet, nobis nîl derogat: sufficit utrumq; occurrere; & quidem proconsul, proconsulis, proconsuli &c. sæpius. Ecqua ratione proconsul rejiciam? Si rectè dico: pronepos, pronepotis, pronepoti, & proavus, proavi, proavo: cur non rectè dicam, proconsul, proprætor &c. *V. Paul. Manut*, in Epist. famil. Cic. pag. 12.

Q.

QUATTUOR] *duplici t. Monumenta omnia antiqua.*

Re-

Reperitur & unico t, apud *Ennium*:

Cedunt ter quatuor de cœlo corpora sancta:

apud *Sosipatr.*

Jamq; adeò quatuor par··ūm ----

Juvat Etymologia. Est enim κἄτερα, ut habet *Scal.* de L.L. c. 28. " K transit in cognatam suam Q κἄτερα, pro καὶ ἕτερα, sine adspiratione apud Aeoles. Nam cum dixissent, Unum, Alterum, Tria: pro Quarto dixere: & alterum, κἄτερα. ,, Vel, quod vult *Scaliger Filius* in Varronem, ex Osco: πέτερα, petora, Poëtæ t duplicem voluerunt, ut primam possent producere.

QVIDQVID & QVIDQVAM] per d *Quintilianus l.* 1. *c.* 12.

Sed ille: Frigidiora his alia, ut quicquid c quartam haberet, ne interrogare bis videremur. Verùm hæc jam etiam inter ipsas ineptias evanuerunt. Contrà Marius Victorinus lib. 1. cap. de Orthographia: quicquam, & quicquid, & quocquod

quod prima syllaba quoties habuerit D. idem vos perducite, & superponite C. Nam cùm sint hæc composita & confusa, si utramque vocem, suis litteris scriptam, relinquatis, duas partes orationis separatas relinquetis: quicquam enim dictum est à quid-quam.

Sed hæc ratio est lubrica. Quot quæso vocabula composita manent invariata; nec tamen voces sunt statuendæ duæ diversæ? Intuere sequentes: internuncius: intueri: jusjurandum: respublica &c.

QVINCTUS, QVINCTILIUS, QVINCTILIANUS] *& similia per ct. Monumenta antiqua, & ratio etymologiæ. Vt enim à relinquo, relictus: sic à quinque quinctus.*

Cur non potius sic colligam? ut à relinquo dicitur relictus, ita à quinq; quictus. De his autem argumentationibus, actum supra in voce exsilium. Legi in vetustissimis exemplaribus

ribus Ciceronis, Quinctus, Quinctius, Quinctilius, testis est Gryphius. Monumenta antiqua hic variant: ad quorum fidem alligari se Turnebus non patitur, ut ex his verbis videre est: Inducta nuper est ab eruditissimis hominibus, in libros omnes, nominum quædam literatura, ab usitata discrepans. Quinctum enim & Paullum, Poplicolam, Aquillium scribunt. Sed nos vulgos, ut consuetudinis retinentissimi sumus, ita vix istam novitatem approbare possumus, & libenter novum opus nunciaremus; nituntur tamen marmorum Capitolinorum auctoritate, cui non puto tantum ponderis esse debere, ut adversus Grammaticorum Scholas & præceptiones audienda sit; nec enim illos marmorarios lapidumque sculptores bonos Grammaticos fuisse crediderim, sed operarios manu, quam mente, doctiores. Proinde rem ipsam putemus, & propius inspiciamus, ut videamus nosne, an illi, in errore versemur. Existimo,

prænomen Quintus esse à numero principiò deductum: ut & Sextus & Decimus. Si igitur Quinctus scribendum est in hominis prænomine, erit & Quinctus scribendum in numerali nomine: ipsi tamen Quintus semper scribunt. Sed & Quinctilis mensis, non Quintilis: Quinctana porta in castris erit dicenda, non Quintana. Suspicor autem, Marmorarios hoc deceptos, quia cùm apud veteres c & q eodem modo sonarent, & participium cinctus, magnam vicinitatem cum Quintus, in illa antiqua pronunciatione, haberet. ex eo Quinctus scripsisse, ac vitium pronunciationis suæ fastis Capitolinis mandasse, nam, ut notant veteres Grammatici, vulgus infinitis oris vitiis laborabat. In vulgo autem, non indoctis, numerantur opifices: In quorum antiquis inscriptionibus, quotidie ea agnoscimus. Paulus autem, non Paullus, auctore Prisciano, qui in Grammaticis locupletior est testis, quàm ullus scalptor. Is enim

l. 3.

l.3. de diminut. sic scribit. Excipitur unum in lus desinens, Paulus, quod non geminat L. in diminutivo, nec mirum, cum au diphthongus post se geminari consonantem prohibeat. Publicolam autem leniùs & concinniùs dici, quàm poplicolâm, (etsi poplicola & propter originem & significationem damnari non potest) arbitror. Ut enim pro populicum factum publicum, in jucunditate vocis ad mansuetiorem traducta sonum: Sic pro poplicola, publicola, id est, populicola. Sic Publius, quasi populius, est dictus, cum poplius offenderet Latinas aures, quæ eadem offensio in poplicola inest. Nec moveor auctoritate Græcorum, qui πόπλιον dicunt & ποπλικόλαν: quæ illis auditu jucunda, Latinis fastidiosa sunt, & quamquam, qui poplicolam scribit, si se origine vocis defendit, nec damnari penitus potest: tamen meo judicio, qui publicolam scribit, Latiniùs & elegantiùs, certè suaviùs scribit. Aquilium porro, quid est cau-

ſæ, cur geminata ſcribamus I litera, cùm unum analogia & origo poſtulet? ut enim à rutilo, Rutilius: ſic ab aquilo, Aquilius deducitur. Nec enim, ut opinor, ſyllabam bonus Poëta in verſu produceret. Sed ne Petillius quidem ſcribendum eſt, cum nec Petilia, urbis nomen, unde ductum videtur, conſonantem duplicet: quæ à πίτυος & ab Ilio derivata appellatio eſt, Æneid.3.

Parva Philoctete ſubnixa Petilia muro: ſive à petilo, quod exile & parvum eſt: ut à rutilo Rutilius. Hæc non eò dixi, quòd putem, meas rationes illorum doctiſsimorum hominum judicio anteponendas eſſe: ſed ut quæ mihi contra iſtius litteraturæ novitatem, commodè excogitari poſſe videbantur, declararem.,,

Hæc non ineruditè Criticus egregius: cui hæc opponit M. Rothius. " cùm ſuperiori ſæculo, priuſquam ars typographica inventa, maximo illi erat honori, cui ſtatua aut monumentum, propter res benè geſtas, erigere-

geretur: non certè puto, eos, quibus poni, aut qui etiam ponere ejusmodi monumenta debuerunt, tàm fuisse socordes, ut non plus diligentiæ in illis exsculpendis adhibuerint, quàm nostræ ætatis homines: qui scriptis & libris famam suam propagari posse nôrunt. Imò etiam ipsi sculptores non adeò fuerunt imperiti & rudes, ut, quid rectum, ignorarent; quibus quoque nostri artifices ne extrema linea sunt comparandi. „ Verùm unde isthæc contra tot scriptores, confirmabit & statuminabit? aliud evincit diversissima, & è diametro opposita monumentorum scriptura, quæ apud ipsum & Rothium & Manutium passim conspicitur. Qui scribit igitur Quinctus &c. Quinctius, Quinctilius; scutum habebit Codices vetustos Ciceronianos: qui eligit Quintus, Quintius, Quintilius; usu se communi tuebitur.

R.

REPPONI ET RETTULI] *libri antiqui & Sesellius. Re*

præ-

præpositio, inquit, nonnunquam cùm ad consonantes accedit, geminat illas: quod plerumq; apud antiquos est: duco, redduco: tuli, rettuli; do, reddo; lego, rellego. Et Priscianus l. 2.

Repperi semper vult Priscianus pp. scribi geminato; reduco verò etiam aliquando unico. Verba sunt: reddo, redduco, quod etiam reduco dicitur. Virg. in IX. reddidit una boum vocem. Terent. in Phorm. in ludum ducere atq; redducere. Horat. in Epod.

-- -- DEus hæc fortasse benigna
redducet in sedem vice.

Virg. in IV. Æn.

-- -- socios à morte reduxit.

Geminatio hæc in vorsa magis, quàm prorsa oratione occurrit, & propterea parcissimè adsciscenda.

RECIPERARE] *pro eo, quod dicitur recuperare, per i. Pandectæ Florentini. & alii libri: item ratio. A recipiendo enim reciperare dicitur.*

tur. Quanquam & recuperare, antiquè I *pro* U *ferre possumus.*

Antequam ad verbum reciperare accedamus, videndum erit, cur Noster Pandectas dicat Florentinos, addito adjectivo, in genere masculino? Antonius quidem Augustinus, JCtus non ignobilis, magnâ contentione probare nititur, errare eos omnes, qui Pandectas, fœminino genere, efferunt. Et Henricus Stephani in eadem est hæresi, hac motus ratione: quia Πανδέκτης apud Græcos sit generis masculini; quod in Latinis debeat retineri. Sed ratio hæc nos non movet; quia ex lib. 7. Prisciani scimus, sæpe genus mutari. Varro, ait iste, de lingua Latina ait, talia ex Græco sumta, ex masculino in fœmininum transire & A litera finiri, ὁ κοχλίας hæc cochlea, ὁ χάρτης hæc charta, ὁ γαυσάπης hæc gausapa. Ipse etiam Noster animum mutavit, & genus probavit fœmininum. Epist. 39. cent. Miscell. "ut alios omittam; exstant nobiles illæ Pandectæ Etruscæ, à Justiniani ævo,"

vo. „ Isacius Casaubonus in animadversionibus ad C. Julium Cæsarem Suetonii. Aldus Manutius in quadam epistola: " si annos suos vixisset, & leges ex Pandectis, quæ olim Pisanæ fuerunt, in pristinam, quod ceperat facere, lectionem restituisset. „ Angelus Politianus ad Jacobum Modestum Pratensem l.5.ep.9. " rogasti me sæpius, ut tibi nomina colligerem veterum Jurisconditorum, non qui citentur ab aliis, sed quorum sint ipsorum verba pro legibus in Justiniani principis digestis, quas & Pandectas appellamus. „ Ubi pronomen fœmininum respicit nomen Pandectarum. Clarius idem circa finem hujus epistolæ: hæc est denique tàm juris conditorum, qui symbolam dederunt, quàm librorum quoque & titulorum, quibus vestræ Pandectæ se debent, exactior nomenclatura. Epistola Pandectarum, Florentiæ editarum, ad Lectorem: " cum vetustissimo Florentinarum Pandectarum Codice, nullum alium integrita-

te ac

te as fide comparandum esse, jam omnib. est persuasissimum. „ Imperator ipse Justinianus de Nuptiis: sunt & aliæ personæ, quæ, propter diversas rationes, nuptias contrahere prohibentur, quas in libris digestorum, seu Pandectarum, ex jure vetere collectarum, enumerari permisimus. Hæc maximam partem debemus JCto Amplissimo, Dn. D. Erasmo Ungepaur/Professori Altorfino meritissimo.

Recupero itidem à recipiendo deducit Perottus: quia sit rem amissam rursus acquiro p. 461. Fuisse autem veteribus in usu reciperare, per i scriptum, videmus ex nomine reciperatio apud Festum, qui: reciperatio, inquit, est, ut ait Gallus Ælius, cum inter populum, & reges, nationesque & civitates peregrinas lex convenit, quomodo per reciperatores reddantur res reciperenturque, resque privatas inter se persequantur. Apud Varronem libr. I. de R. R. legimus ipsum verbum: fami-

mi-

mus: χειδὸν est propè, illicò. Unde, ut scribit Barthius, schedæ dicuntur liturarii codices, quibus concepti ab auctoribus libri. Aliis arridet scheda, ut Quintiliano, cujus origo latet.

SEPTEMTRIO] *libri & lapides.*

Ita Festus, ut excudit Scaliger: Septemtriones, septem stellæ appellantur, à bubus junctis, quos triones veteres appellant; quod juncti arent terram, quasi terriones.

SEPULCRUM] *sine adspiratione. Cicero ipse in Oratore ad Brutum, Servius & ratio. Dicitur enim sepulcrum, sicut simulacrum, involucrum & similia. Quanquam Agellius & aliquot Grammatici aliter sentiant, qui à pulcro deducunt.*

Locus cumprimis Servii addendus: tria veteres habebant nomina, in quibus C litteram sequeretur adspiratio: sepulchrum, Orchus, pulcher. E quibus pulcher tantùm hodiè recepit

cepit adſpirationem. „ Sed neq; pulchrum,per h ſcriptum, ſatis videtur Ciceroni pulcrum. Quædam enim aliter pronunciantur,quàm ſcribuntur: inter quæ pulcrum; de quo in Oratore: ego ipſe cum ſcirem, ita majores locutos eſſe,ut nusquam,niſi in vocali, adſpiratione uterentur: loquebar ſic, ut pulcros, Cetegos, triumpos,Cartaginem dicerem: aliquando,idq; ſero, convicio aurium, *cùm extorta mihi veritas eſſet, uſum* " *loquendi popùlo conceſſi, ſcientiam* " *mihi reſervavi.* Quibus innuit, " ſcribi rectè oportere, pulcrum: etſi molliùs pronunciandum. Sicuti enim à ſimulatum, fit ſimulacrum; à lavatum, lavacrum; ab ambulatum, ambulacrum; à fultum, fulcrum,t in c converſo, & r adjuncto: ita à ſepultum etiam fit ſepulcrum,ut docet Aldus.

SIDUS] *libri,& lapides, & ratio ipſa.*

Repete, quæ ſupra addidimus ad verba, conſidero & deſidero. Qui

per

per Y scribunt, duplici se etymologia muniunt. Vel enim Formant ex σὺν & εἴδω, video, quòd multæ simul stellæ videantur; vel ex συνιδεῖν, convenire, quòd sidus aliquot stellarum sit quasi conventus. Sed utraq; coacta, & ipsum vocabulum injustè ex Latio ejicitur.

SILVA] *omnia antiqua monumenta. Quamvis deduci quidem, à Græco ὕλη, malint.*

Per Y contra omnem scribi antiquitatem, tradit Aldus. Credunt autem à sileo formari: quod excipit Scaliger

---- petulanti splene cachinno: materiam ὕλην dixerunt Græci, inde sylva nobis; innumeris enim plenè vel operibus, vel opificiis suppeditatur à lignis materia. Grammatici recentiores, quòd invenissent in libris vetustioribus alia vocali, quàm Græca scriptum, à silendo deductum maluere, sanè ridiculè. Nusquam enim minùs, quàm in sylvis silentium: minima namq; aura maximi strepitus excitantur Ideæ c. 100.

Su-

SUBOLES] *non soboles. Ratio compositionis, à subolesco. Festus & lapides.*

Consentit tota antiquorum natio, quasi de compacto rem agant. Festus: Suboles ab (sub &) olescendo, id est, crescendo, ut adolescentes quoq; & adultæ, & indoles dicitur. Lucret. lib. V.

Sive virûm suboles, sive est muliebris origo.

Virgil.

Cara Deûm suboles, magnum Jovis incrementum.

Nunquam in compositione, præpositionis *sub* ullus fuit apex mutatus: quî fiat, quòd in hac voce u velimus in o deformare? Dolet hanc temeritatem vehementissimè Gifanius, quamobrem ita indignationem suam egerit: non scribo quidem orthographica, reprimere tamen meq; continere non potui, quin testatum relinquerem, hanc vocem vulgò perperam scribi soboles, cum in libris Lucretii, Ciceronis, Virgilii, Horatii, Pru-

Prudentii, Pandectis Florentinis, Feſto, aliorumq; deniq; omnium libris, ſuboles ſcriptum invenerim: eamq; Scripturam notatio confirmat planiſsimè. Nam ab oleſcere, & ſub, deductum eſt, teſte Feſto: ut adoleſcens, ab adoleſcere, id eſt, creſcere. Neque ignoro, harum literarum, U & O, magnam olim inter ſe fuiſſe permutationem: adeò, ut omninò conſentiam illis, qui aduleſcens veteres ſcripſiſſe affirmant, libris vel liquidò atteſtantibus: verùm in ſuboles non idem admiſero, cùm veterum libri conſtanter repugnent. „ Suboles etiam veterrima legunt Gloſſaria, ad unum omnia.

SOLICITO ET SOLICITUS] *unico L. Etymologia. Quod ſolicitare ſit loco citare, id eſt, loco ſuo movere. Feſtus & Libri. Poëtæ tamen alterum addunt, producendæ ſyllabæ cauſa, quæ natura brevis eſt.*

Feſtus: " ſolicitare quidam di-

ctum putant, vel ut citare ex ſolo, quod eſt ex ſuo loco ac ſententia. Solum autem quin ſignificet locum, quis dubitet? cùm exſules quoq; dicuntur, loco patriæ ſuæ pulſi. „ Quæ verba apud Donatum etiam leguntur in Heaut. Act. 3. Sc. 1. Iſidorus lib. X. longiùs abit, per ll ſcribens geminatum: " ſollitus eſt, qui ſollers & citus atque irrequietus. „ Inveniamus etiam ſolicitare, l unico, primâ productâ: ſed tùm eſt quaſi ſolum citare, i μόνον fatigare, crebro compellare vel compellere.

SOLLENNE] *duplici ll, & duplici nn. Feſtus & Libri.*

Eſt enim ex voce oſca, ſolle, id eſt. totum. Unde ſolliferreum, apud Livium genus teli, quod totum ferreum: ſollicuria, vocata in omni re curioſa. Unde ſolenne, quod in omnibus annis præſtari debet. Legunt tamen apud Feſtum nonnulli ſolemne: quod veteres, monſtrante Pontano, non dicerent annus, ſed amnus, ab am, id eſt, circum. De-

pre-

prehendimus illud in, *bimus* & *trimus*, quaſi biamnus & triamnus. Sed cum jam non dicamus amnus, ſed annus; quid ni dicamus, ut perennis, quotannis &c. ſolennis? Si in quibusdam veterum Codicibus antiquiſsimis ſolennis inveniamus, hæc cenſenda ratio: quod antiquiſsimi conſonantes non geminarint. Ex Cicerone & Quintiliano.

SOLLERS] *Monumenta antiqua.*

Eſt ſollers, ex Feſti mente, in omni re prudens, & artem adhibens: ab eodem oſco, ſolle, & ars. *Papias*: ſollers antiquitùs dicebatur, qui erat omni bona arte inſtructus: quod melius illo ejusdem: ſollers dictus, quod ſit ſollicitus in arte, & utilis. Haud benè *Perottus*: ſolers in omni re prudens, quaſi totus ars. Si enim hanc Feſti etymologiam probat, elementum tertium debet geminare: niſi illis ſeſe muniat, quæ in fine præcedentis vocis, *ſollennis*, poſuimus.

SUBSESIVUM] *non successivum? à subsequor enim derivant. Nonius. Quanquam in quibusdam libris subsisivum reperitur.*

Non videmus apud Nonium, *subsesivum*, quod, quomodo à subsequor derivetur, non possumus divinare. Hæc autem Nonii: subsicivum, secundum, sequens. Lucil. libr. 28, Præterea hæc subsiciva, si quando voles operam. Subsicivum positum succedens, succidaneum. Ita formaretur à veteri subsico, hoc est, subseco, ut monet Turnebus. Subsicivus legitur præterea apud Isidorum: " subsiciva sunt, quæ de materia præcidens sutor, quasi supervacua abjicit. Inde & subsicivi agri, quos in pertica divisos recusat, quasi steriles, vel palustres. Item subsiciva, quæ in divisura agri non efficiunt centurias, id est, jugera CC.,, l. 15, c. 13. Est autem subsicivum, vel, ut quibusdam placet recentioribus, subsecivum, à subseco, aut succisivum à succido, quod

quod ſubſecatur, ſeu ſucciditur; de re aliqua latenter demitur, ut ſubſecivæ horæ, quas ordinariis negotiis, velut clàm, ſubtrahimus. Agellius mirè ſcribit ſubſciſivus, lib. 20. c. 12. " quantum autem vitæ mihi deinceps Deûm voluntate erit, quantumque à cura publica, & à re familiari, procurandoque cultu liberorum meorum dabitur otium, ea omnia ſubſciſiva & ſubſecundaria tempora, ad attigendas hujuſcemodi memoriarum diſceptatiunculas conferam, „ Editionis Petri Moſellani.

Subſicivum & ſubſecivum ſunt certiſſima.

T.

TINGVO] *non tingo. Sicut ungvo. Libri veteres & Priſcianus lib.* 10. *& Caper.*

Imò potiùs apud Priſcianum invenimus l. 10. utrumq;. Expreſsè enim. " tingvo, vel tingo, tinxi: quemadmodum & ungvo, ac ungo. Idem ibidem: ungo quidem Niſus & Papirianus & Probus, tàm ungvi, quàm

unxi dicunt facere præteritum: Carisius verò unxi tantùm. Paulò pòst: dicimus ungvo unxi, lingo linxi; & pingo pinxi: ningvo quoq; & ninxi, unde & nix. „ Nihil inde certi colligere licet, ipsum τὸ ungo rejicere.

TIRO] *i Latino. Libri antiqui.*

Juvat etymologia: deducitur enim à τείρομαι conteror, divexor, rudis igitur formandusq; erit tiro. Sic scribit Cicero: tironum ætas plerumq; melior. Sic Turneb. libr. XI. c. 13. Tirones appellabantur, qui sumserant togam virilem, idq; tirocinium vocabatur.

TIBERIS] *per i Latinum. Libri veteres & Græci.*

Gr. τίβερις. *Varro*: Tiberis amnis, qui ambit Martium campum & urbem. Oppidum *Interamna* dictum, quod inter amnes est constitutum. Item Antemnæ, quòd ante amnem, qui influit in Tiberim: quod in bello malè acceptum consenuit. Sed de Tiberis nomine anceps est historia,

nam

nam & ſuum Eutruria, & Latium eſſe credit. Fuerunt, qui à vicino Regulo Vejentum Dehebri dixerint appellatum primò Dehebrim: ſunt qui Tiberis priſcum nomen Latinum Albulam vocitatum, litteris tradunt: poſteri9 propter Tiberinum, Regem Latinorum mutatum, quòd ibi interierit: nam hoc ejus, ut tradunt ſepulcrum. Lib. 4 de L. L. *Feſtus*: Tiberis fluvius dictus à Tiberino Rege Albanorum, quòd in eo cecidiſſet. Vel Tiberis à Tiberi, Rege Tuſcorum.

TRALUCENS, TRALATA ET TRADUCTA.] *Similia euphoniæ cauſa libenter ita ſcribimus: etſi in præſenti transfero & transduco dicamus. Libri antiqui.*

Contrahitur trans frequenter in tra, quando cum aliis componitur, cumprimis ante d, i, n, ut: traduco, trajicio, trano. Traluceo apud Lucretium legitur l. 4.

Uſq; adeò è ſpeculo in ſpeculum tralucet imago.

unxi dicunt facere præteritum: Carisius verò unxi tantùm. Paulò pòst: dicimus ungvo unxi, lingo linxi; & pingo pinxi; ningvo quoq; & ninxi, unde & nix. „ Nihil inde certi colligere licet, ipsum τὸ ungo rejicere.

TIRO] *i Latino. Libri antiqui.*

Juvar etymologia: deducitur enim à τείρομαι conteror, divexor, rudis igitur formandusq; erit tiro. Sic scribit Cicero: tironum ætas plerumq; melior. Sic Turneb. libr. XI. c. 13. Tirones appellabantur, qui sumserant togam virilem, idq; tirocinium vocabatur.

TIBERIS] *per i Latinum. Libri veteres & Græci.*

Gr. τίβερις. *Varro*: Tiberis amnis, qui ambit Martium campum & urbem. Oppidum *Interamna* dictum, quod inter amnes est constitutum. Item Antemnæ, quòd ante amnem, qui influit in Tiberim: quod in bello malè acceptum consenuit. Sed de Tiberis nomine anceps est historia,

nam & suum Eutrutia, & Latium esse credit. Fuerunt, qui à vicino Regulo Vejentum Dehebri dixerint appellatum primò Dehebrim: sunt qui Tiberis priscum nomen Latinum Albulam vocitatum, litteris tradunt: posteri⁹ propter Tiberinum, Regem Latinorum mutatum, quòd ibi interierit: nam hoc ejus, ut tradunt sepulcrum. Lib. 4 de L. L. *Festus*: Tiberis fluvius dictus à Tiberino Rege Albanorum, quòd in eo cecidisset. Vel Tiberis à Tiberi, Rege Tuscorum.

TRALUCENS, TRALATA ET TRADUCTA.] *Similia euphoniæ causa libenter ita scribimus: etsi in præsenti transfero & transduco dicamus. Libri antiqui.*

Contrahitur trans frequenter in tra, quando cum aliis componitur, cumprimis ante d, i, n, ut: traduco, trajicio, trano. Traluceo apud Lucretium legitur l. 4.

Usq; adeò è speculo in speculum tralucet imago.

Transduco apud Cic. Verrin. VI. "ut conarere clientelam tàm illustrem, tàm splendidæ provinciæ, transducere ad te.„ Apud Col. l. 3. c. 9. transducere arbores, i. transplantare. Cicero utrumq; usurpat, translatio & tralatio, translatitius & tralatius. Transdere pro tradere est apud Terentium: transdere in otium, Phormione. Apud Catullum ex restitutione Scaligeri:

Et qui principio nobis te transdedit
Oufens,
Et quo primo sunt omnia nata
bona.

TUS] *sine adspiratione. Libri veteres & Carisius, qui à tundendo derivat.*

Julius Modestus quidem ἀπὸ τοῦ θύειν vult, & scribit *thus*: sed contrà sunt, de quibus Noster: & Isidorus: *Tus*, sine adspiratione, à tundendo dicitur, quia dum gummi guttæ ex arbore cadunt, in glebis miscentur: dum verò glebæ in pulverem rediguntur, tus carpitur, & virgulis tunditur, & sic

ſic inde manibus tollitur. lib. 17. c. 8. Conſentit Scal. l. 1. de plantis.

V.

VENEO] *pro vendor, ſine diphthongo. Pandectæ Florent. & alii libri.*

Ita *Priſcianus:* " Veneo quoque ſecundum analogiam venitum debet facere ſupinum , pro quo magis venum in uſu, lib. 10. " Legimus tamen apud *Sedulium* de Joſepho, à fratribus vendito:

Reppulit ille famem venitus crimine fratrum.

Eodem modo ſcribit *Perottus*: " à venum veneo deducitur, quod ſignificat vendor, quaſi venum eo. " In eo autem non poſſumus hominem commendare, quod verbum *veneo*, à ſuo ſupino *venum* derivet. Ridiculum ὕστερον πρότερον. Scribamus ergò cum Priſcianus jam veneo; etſi *Agratius* ſcribat: veniunt, qui accedunt; væneunt, qui venduntur.

VIRGILIUS] *non Vergilius. Lapides aliquot antiqui, & etymo-*

mologia. Virgilium enim à virginali facie, vel verecundia deductum volunt. Atq; ita Calvi versus legendus:

Et vates, cui virgo dedit venerabile nomen.

Petrus Crinitus de Poëtis Latinis: adeò insigni modestia & verecundis moribus dicitur fuisse, ut vulgò appellatus sit Parthenius (i.e. à virgine) quod præter alios multos etiam Poëta Ausonius testatur in epistola ad Paulinum c. 37. Verba Ausonii sunt: Quid antiquissimi Poëtæ Livii erotopægnίων libros loquar? quid Evenum: quem Menander sapientem vocavit? quid ipsum Menandrum? quid Comicos omnes; quibus severa vita est, & læta materia, quid etiam Parthenium dictum causa pudoris? qui octavo Æneidos, cùm describeret coitum Veneris atque Vulcanii γλοχρεσσεμνίαν decenter immiscuit. Quid in tertio Georgicorum de summissis in gregem maritis? nonne obsce-

scenam significationem, honesta verborum translatione, velavit?

VINDICO] *non vendico, in utraq; significatione. Libri, & lapides, & nomen vindex. Id enim ab omnibus in utraq; significatione usurpatur: vendex nemo dicit.*

De utraq; significatione Auctores, scriptione eadem. Nonius Marcellus *vindicat*, adsciscit, ad se trahit. *Ammian.* l. 25. tametsi prosperitas simul utilitasq; consultorum non ubique concordent; quoniam cœptorum eventus sæpius sibi vindicant potestates. *Papias*: vindicat, supplicio damnat, morti dat, ulciscitur. Appul: statutum est, ut in eam de saxorum jaculationibus vindicaretur. Plura apud Nonium. Mittimus igitur *Perottum*, qui scribit vendico: " à venum fit vendico, quasi conveniens mihi dico. Est enim vendico, ut ita dicam, approprio. "



CAPUT II.

De Incertis.

HActenus de certa Orthographia. Nunc ea verba videamus, de quibus vel Grammaticorum ambigua auctoritas est, vel monumentorum veterum fides vacillat: quæ tamen non ita incerta appello, quin ab altera parte constantior semper sit veritas: sed quia, quomodocunq; scribantur,

-- -- magno se judice quisque tuetur:

ut ait ille.

Non est, quod tantum quisquam jactet certitudinis: cum inter tot Syrtes navigaverimus, & deinceps quoque simus navigaturi. Sed mare ingrediamur, & ventum speremus, nos non submersurum.

Sunt autem hæc:

A.

ADludo, adfluo, adscisco, adscribo, adfirmo, adlicio, adgredior,

adſicio, adſectus. In compoſitione d litteram retinere, Feſto placet: à cujus ſententia facit Cornutus & Cæcilius Vindex. Alii contra mutari d cum ſequenti littera, mollioris ſoni cauſa volunt, in quibus eſt Seſellius. Alii inter iſtos medii, regula propoſita, litem hanc quaſi componunt, in quibus Agrætius: ad, præpoſitio, inquit, corrumpitur, quando eam muta, b, c, d, f, g, p, q, t, ſequitur: integra autem manet, quando ſemivocalis, l, m, n, r, ſ, ut: adficio, adripio. Priſcianus ſibi parùm conſtare videtur. Interdum enim adquiro, & adrideo & adſumo probat, ut libr. 2. interdum improbat, & errore ſcriptorum id fieri exiſtimat. Sanè libri plerique & lapides, Feſti ſententiam confirmant. Sequentib. tamen literis p, c, g, t, non libenter d, ſcripſerim, ut: adpropero, adcedo, adgero aut adte-

 ro:

vo: quæ ea duriuscula videntur.

Festus, intrepidè scribit: adscensi, adfabrum, adfatim, adfectare, adfines, adgrettus vel adgressus, adlecti, adlicit vel adlivescit, adnictat, adrumavit, adsciscere, adscripti, adfectata, adserere, adsidelæ, adsiduus, adsipere, adtegrare, adstassent, adtestata, adtritum, adtubernalis. *Varro*, adfatus, adlucet, adquirere, adtributum, adscriptivi. *Nonius*, adsectrix, adspecti, adstipulari.

ÆRUMNA] *cum æ à Græco* ἄιρειν, *Festus. Carisius tamen per e scribendum putat: dicta, inquit, quòd eruat mentem.*

Malè Ennius: ærumna, quòd mœrorem nutriat: adfectatè Carisius. Ut dicimus ab ἐλαμένη, vel ἠλαμένη, lamina & lamna: ita ab αἰρομένη ærumina, ærumna. Scalig. ad Festum, qui: ærumnæ, ait, labores onerosos significant. à Græco sermone deducuntur: nam αἴρειν Græcè, Latinè tollere dicitur.

ALU-

ALUCINOR] *unico l, & sine adspiratione, Festus. Nonius Marcellus contrà, inter adspirata recensuit. A Festo faciunt Libri.*

Diversimodè scribitur, propter diversam etymologiam. Festo alucinor placet, ex præpositione, à & luce, quòd sit à luce aberratio. Unde Lucini, qui aliquo oculorum vitio laborant. Nonius Marcellus habet isthæc: Hallucinari, aberrare, & non consistere atq; dissolvi, obstupefieri, atq; tardari honestè veteres dixerũt, ut est: & assiduò oscitantem vidit, atque illius quidem delicatissimas mentis & corporis hallucinationes. Deductum ita videmus ab hallux, vel hallus, id est, pollex pedis scandens super proximum, dictus à, saliendo. nam ἅλλομαι Græcè, Latinè significat salio, *Festus*: hoc est, digitus pedis maximus, pollex. Erit itaque hoc modo hallucinari propriè, pedem allidere. *Agellius* originem dicit verbum Gr. ἀλύειν, ex *Cleatio Verrio*, i. ani-

mo

mo concidere, langvere: quomodo accederet ab initio h,& l,alterum, ut firmitas & vigor vocis, quasi quibusdam nervis additis, intenderetur. l. 16.c.12.& l.2.c.3. Frequentiùs usurpatur,*hallucinor.*

C.

CLUACA] *Victorinus: à colluendo enim ait deduci. Cloaca Festus & Libri.*

Cloaca videtur etiam Perotto probari, cui, à colluendo deducta, quasi colluaca dicitur. Quamvis in derivatione sibi non constet: modò enim hoc nomen à colluere, modò à cloacare, modò verbum cloacare, à cloaca derivat. Isidorus cloacas à colando format: Cloacæ, inquiens, dictæ, quod iis percolantur aquæ: quas primùm Romæ fecisse dicunt Tarquinium Priscum, ut quotiens pluviarum inundatio existeret, per eas aquæ extra civitatem emitterentur, ne maximis perpetuisque tempestatibus planitiem, vel fundamenta ur-

bium

bium strages aquarum subverteret. Lib. 15. 3.

Festis scriptio doctiorum est.

CONLEGA & CONLIGO] *sunt, qui hodiè scribant ita, auctoritate lapidum & Librorum. Victorinus tamen hanc regulam posuit: Con præpositio, inquit, mutatur in m, quoties sequentur hæ litteræ: b, f, m, p, u, ut: comburo, comfundo, compono: quoties autem l, & r, tunc n, mutatur in eas, ut: colligo, corrodo. Priscianus etiam lib. 4. collego & colligo approbat. Conlocare tamen Petrus Victorinus & Pandectæ Florentini, & conlatum Festus, probârunt.*

Verba Victorini sunt integrè isthæc: Quoties præpositiones sequetur vox, cujus prima littera incipit à suprà dictis litteris, id est, b, f, m, p, u, quæ vox conjuncta præpositioni, significationem ejus confundat; vos quoque præpositionis litteram mutate,

tate, ut est: *combibit*, *comburit*, *comfert*, *comfundit*, *commemorat*, *comminuit*, *comparat*, *comvellit*, *comvalescit*, *compellit*, *comvocat*: non conbibit & conburit, & similia.

Et tamen quoties verbum sequens incipit ab l, aut r: n, suum commutat in eam, à qua sequens vox incipit, ut: *collatum*, *collectum*, *illinit*, *illectus*, *collinit*, *illudit*. In r autem, ut: *corradit*, *corripit*, *corrodit*, *corrumpit*; *ut*: *irrepit*, *irrogat*, *irruit*. libr. 1. de Orthogr. Apud Festum insuper legimus: conlativum, conregione, conruspari.

CONJUX VEL CONJUNX] *controvertitur apud Grammaticos. Prius tamen illud à lapidibus comprobatur.*

Magnum testimoniorum cumulum in lapidibus comportavit Manutius: apud quem simul videmus, in iisdem extare, coius, conjunxs, cojunx & conjunx: quod ultimum accipit Priscianus: unum, inquiens, in [illegible] commune, hic & hæc conjunx, hujus

hujus conjugis, lib. 7. Manutius tamen, Martinius, Becmanus, & alii propterea volunt, *conjux*, quia genitivus sit, conjugis. Sic dico etiam *subjux*, subjugis, apud Plinium.

PERCUNCTARI.] *Ex Festo scribendum. Quod is, inquit, qui curiosè interrogat, per cuncta visat. Nonius Marcellus contrà*: percontari: *quod, inquit, vada contis perquirantur. Cum Nonio facit Verrius Flaccus, quem audiendum puto.*

Festus vult tantùm *percunctari* scribendum: "*percunctatio*, pro interrogatione, dicta videtur ex nautico usu, qui conto pertentant cognoscuntq; navigantes, aquæ altitudinem, quam ob causam ait *Verrius*: etiam secundam syllabam, per o, solere scribi. Mihi id falsum videtur. Nam est illa percunctatio, quòd is, qui curiosè quid interrogat, per cuncta visit, ut rectè, per u litteram, scribatur." *Nonius*: "percontari, diligenter inquirere.

Plaut.

Plaut. Amphit. qui istuc in mente est tibi, ex me, mi vir, percontarier? Et est proprietas verbi, ab eo tracta, quod vada in fluminib. contis exquirunt,, Lib. I. Etymi utriusq; intuitu, utroq; scribi modo potest.

D.

DILECTUS MILITUM] *per i Festus & Pandecta. Alii contrà à deligo. Festi tamen sententiam docti ferè omnes sequuntur.*

Festus: " *dilectus* militum, & is, qui significatur amatus, à legendo dicti sunt. Ratio tamen magis suadet, *delectus*, à deligo, quod est de multis lego vel eligo.,,

E.

EMTUM, DEMTUM, SUMTUM, PROMTUM, CONTEMTUM, COMTUM.] *Omnia ista sine p, Victorino scribi placet, cujus sententiam vehementer approbavit*

bavit Lambinus, *& ferè docti alii. Addunt etiam rationem: quod littera p, ingredi supinum non possit, cùm in præsenti, aut præterito non reperiatur. Videatur Lambinus, præfatione in Horatium. Contrà* Priscianus *affirmat, non possem, ante t, sine p, reperiri, quod interponitur. Lib. 10. Cum quo sentit* Probus *in Catholicis, qui sumptus, premptus, ademptus in* ptus *terminat. Me quidem, quò minùs Victorino adsentiar, vehementer movent marmora omnia antiqua: in quorum uno duntaxat ademtum sine p, repperi, reliquis omnibus repugnantibus.*

Marius Victorinus: sumsit, & insumsit, demsit sine dubio per me scribetis. Et quando in harum vocum mentionem incidimus, nec consumptum, nec emptum, nec redemptum, nec temptat, attemptat, & similia istis, per pt, scribetis vitiosè, sed ut ego scri-

scripsi, juxta m, t ponetis, & lucrifacietis litteram, quæ detracta nihil de significatu vocis deminuit, & scribitur expeditiùs. „ libr. 1. de Orthogr. p. 27. Sed quoniam ista γραμματομαχία non sine multorum virulentia, & eorum etiam tyrannide agitur, qui nîl nisi plagas suis sciunt cultoribus & adoratoribus inculcare: propterea addam Lambinum, non indoctè differentem: " Multum quidem apud nos valere debet tanti Grammatici (*Victorini*) sententia, atq; auctoritas: sed si quis hujus scripturæ rationem quoque flagitabit; ea verò est in promtu posita, minimeq; obscura. Non debet igitur supinum à sui præteriti vel lege, vel natura discrepare, neque ullam omninò litteram, quæ in præsenti, aut in præterito non fuerit, assumere, præter eas, quæ supinorum sunt propriæ, quales sunt, s & t, nam in duplici, x, potestate s, inest. Cùm igitur hæ verba, emo, redimo, adimo, eximo, interimo, perimo, & in præsentibus, & in præteri-

tis

tis littera p, vacent: supina quoq; eadem vacare debent: itaq; scribenda sunt: emtum, redemtum, ademtum &c. De his autem: sumo, promo, temno, como, demo, & similibus, dico præter naturam liquida m, quæ est horum verborum littera quodammodo genitalis, id est, à qua cæteri modi, cæteraq; tempora oriuntur ac gignuntur, quam Græci characteristicam appellant, dico, inquam, præter illius litteræ naturam, p, in eorum præteritis & supinis interponi. Nam liquida m, quæ fuit in præsenti, vel perit in præterito, ut premo, pressi; vel, si fortè servatur, nullam præterea assumit consonantem, ut emo, emi, gemo, gemui. Idemq; de liquida n, sentiendum, ut sino, sivi, pono, posui, sperno, sprevi; in quibus perit: cano, cecini, geno, sive gigno, genui, in quibus retinetur. P, autem in præteritis eorum verborum duntaxat intercedit, quorum in præsenti vel b, inerat, vel hoc ipsum p: qualia sunt: sorbeo, scribo, nubo, scul-

sculpo,carpo,rapio. Nam b,& p,litteræ sunt inter se affines & cognatæ: facileq; altera in alterius locum migrat. Quod idem de m, & p,dici non potest: quæ litteræ ita sunt inter se dissimiles & dispares, ut altera cum altera nunquam commutari posſit.

Jam verò in quorum verborum præteritis p,inest,ut in his,sorpsi,scripsi, nupsi, sculpsi, carpsi, rapui, & similibus; etiam in eorundem supinis p,reperitur, ut: sorptum, scriptum, nuptum,sculptum,carptum,raptum, & similibus: alioqui nullum ejus in supino vestigium apparere debet. Neq; me movet alius quidam nobilis Grammaticus,qui tradidit,m,ante t,sine p, propter euphoniam, scribi non solere. Atqui cacophonia est potius:multò enim lenior & facilior, & suavior pronunciatio est harum vocum, ita scriptarūm sine p, sumtum,contemtum,promtum &c. Eo autem tempore nata est hæc vitiosa scribendi consvetudo, quo tempore barbaries, ignorantiaq; Latini sermo-

monis, non modò Galliam, verùm etiam Italiam, cæterasq; orbis terrarum partes, occupârant: & quidem ex eorum inepta opinione nata, qui arbitrabantur, m, antes, & t, sine p, neque scribi debere, neque pronunciari posse. Indidem horum vocabulorum fœdissima & corrupilsima scriptura manavit: quæ etiam in quibusdam libris manuscriptis, atque adeò in nonnullis veterum marmorum fragmentis reperitur: hiemps, contempno, dampnatus, antempna, sollempnis, alumpnus, temptare, Pomptina tribus, quæ nondum, me puero, è libris, qui tum typis excudebantur, penitus erat sublata: nunc autem ab omnibus viris litteratis repudiata, ab omnibus libris vulgatis funditus deleta est.

Quod si hujusmodi scripturæ mendum ac vitium in his vocibus, veritate expugnante ac pervincente, correctum est: cur non idem in illis: sumpsi, prompsi, contempsi, & simil. emendemus? Ego quidem hanc

tam perversam scribendi consvetudinem, quæ usq; ad hoc tempus in talibus vocibus hæret, nunc tandem, ignorantiæ tenebris ex Italia, Gallia, Germaniaq; fugatis, litterarumque luce nationibus omnibus reddita, de medio censeo esse tollendam. „ Addatur CL. Corvinus dub. 8. dissert. Phil. 9. Quæ contrà affert Josephus Castalio, JCtus eruditissimus, observationum in Criticos, decade prima, c. 1. ex dictis solutu non erunt difficillima.

EPISTOLA] *sicut & stola, à Gr.* ἐπιστέλλειν. *Alii tamen epistula per u scribunt, ut Pandectæ Florentinæ, Lapides & Libri variant. Vtraq. scriptio probabilis.*

Origo ἐπιστολή, vult epistola, ut ab ἀπόστολος, Apostolus. Quæ ex Scaligero supra, in nomine *adoscens*, attulimus, hîc quoq; locum habent: nam & illos, qui *epistulam* scribunt, Umbros appellitat.

FENUS & FENEROR] *sine diphthongo. Festus. Varro contra*

cum

cum diphthongo, qui & à fœtu derivat: quanquam & Festus fetus sine diphthongo scribi velit.

Varronis ratio est elegans, quando à fœtu deducit. Est enim fœnus, quasi fœtus quidam pecuniæ, pecuniam ampliorem parientis. Ita tradit *Varro*: " feneratus à fenore cognominatus: fenus autem dictum à fetu, & quasi fetura quædam pecuniæ parientis atq; increscentis, & idcirco & M. Cato, & cæteri ætatis ejus, feneratorem, sine a litera, pronunciaverunt, sicuti fetus ipse & fecunditas ipsa. "

Ubi videmus, aliter atq; Noster ait, à Varrone scribi fetus, nempe e simplici. Arbitratur *Frischlinus*, ab antiquo verbo *feo* deduci, ut à *sveo* svetum. Ita *Festus*: " fenus appellatur teræ fetus: ob quam causam & nummorum fetus fenus est vocatum, & de ea re *leges fenebres. fenus* & *feneratores*, & lex de credita pecunia. Fenebris à fetu dicta, quòd crediti nummi alios pariant, ut apud Græcos

eadem res τόκος dicitur, fenum quoq; pratorum ab hac causa est appellatum, quando, idipsum manens, quotannis novum parit. „ Ita *Nonius*: " fenus ab eo dictum est, quòd pecuniam pariat, increscenti tempore, quasi fetus aut fetura. Nam & Græcè τόκος dicitur ἀπὸ τοῦ τίκτειν, quod est parere. Varro lib. 3. de Latin. serm. fenus autem dictum à fetu, & quasi fetura quædam pecuniæ. Nam & Catonem, & cæteros antiquiores, sine o. littera, fenus pronuntiasse contendit, ut, fetus & fecunditas.„ In horum auctoritate acquiescimus.

H.

HADRIANUS] *cum adspiratione & Hadria & hedera & harundo, Eutyches voluit. Aliis magis placet Adria & edera, quod postremum Lambinus approbavit.*

Differentia quædam est inter Adrianus & Hadrianus. Nam Hadrianus est nomen Imperatoris, Ælii Hadriani:

ni: at Adrianus, sine adspiratione est nomen gentile, ab Adria formatum, quæ fuit urbs, Illyrico mari proxima, ut tradit Justinus l. 20. & Adriatico mari nomen indidit: vel, ut Livius vult, Tuscorum fuit colonia; quorum utrumque pro temporum varietate fieri potuit. *Johannes Tortelius Aretinus*, in Orthographia. *Græci* constanter scribunt *Adria* absque adspiratione.

Hedera scribitur Festo, cui tamen nec edera videtur displicuisse. Ita enim: "hedera dicta, quòd hæreat, sive quòd edita petat, vel, quia id, cui adhæserit, edat. Quæ in tutela Liberi putabatur esse, quia, ut ille juvenis semper, ita hæc viret. Vel, quia ita omnia, sicut ille mentes hominum, alligat.,,

Si dicas, quomodo ab *hæreo* formetur, cùm non habeat ab initio diphthongum? Respondeo, veteribus *hereo*, per e simplex, fuisse exaratum, ut supra dictum in *heres*. Malunt jam doctiores *edera*, ab edo;

quò inclinat Scaliger lib. 1. de plant. " edera non solùm amica est, sed etiam amasia vetularum arborum: cum quibus habet occulta quædam principia natalium communia. *Strangulat eas tamen, aut alioqui necat*: quippe salsugine vel amplexu. ,, Si tamen aliquando addatur h; fit illud eò, ut vox reddatur incitatior.


Arundo Isidoro scribitur, & dicitur, quòd citò arescat; ita etiamnum scribunt eruditiores.

HERE & HERE] *indifferenter. Quintilianus lib. 1. sua ætate herè scriptum fuisse docet: quod comprobat Propertius:*

Scis, here mî multas pariter placuisse puellas.

Supra de hisce vocibus actum in vocabulo *benivolentia.* Notandum autem, non tàm in prosa oratione, quàm metro, *herè*, usurpandum.

INFA-



I.

INFACETUM] *ut vulgò: vel melius inficetum, quomodo libri veteres habent, & ratio compositionis flagitat, ut à sapiens, insipiens, à facio, inficio. Videatur Muretus lib. 8. variar. Lect. c. 12.*

Eruditè Muretus: " cùm jam pridem in veteribus Catulli libris scriptum reperissem:

O sæclum insipiens, & inficetum: itemque

Pleni ruris & inficetiarum: & *idem inficeto est inficetior rure:* prætericram ea omnia, tanquam errata librariorum, eramq; secutus vulgarem consvetudinem, qua jam receptum est, ut per a literam, non per i, cuncta illa vocabula & scribantur & pronuncientur. Nuper autem cum ea de re paulò attentiùs cogitassem, planè adductus sum in eam sententiam, ut veterem illam scribendi rationem, probam & incorruptam; eam autem, qua vulgò nunc utimur,

pravam & corruptam judicarem. Ut enim ab æquo non inæqvus, sed iniqvus; & ab amico non inamicus, sed inimicus &c. dicitur; sic *à faceto, non infacetum, sed inficetum* dicendum videtur. Nam illud quoque nonnihil est, quod *Angelum Politianum*, eruditissimum & accuratissimum hominem, ita scribere solitum constat.

Hermolaus quoque *Barbarus*, qui, quæ urbs orbis terram lumen est, ejus ipse urbis maximum lumen fuit, ita scribenda hæc censuit: illi⁹ enim verba hæc sunt, ex emendationibus Plinianis: *cum inficetus, non infacetus, dicatur, auctore vel Catullo, scribendum est inficetissimè.* ,, Thesauri Critici J. Gruteri Tom. 2. p. 1022.

INLUSTRIS, INLUDO, INLICIO, INRITO *& similia.*] Festo *placuerunt, atq; ita Pandectæ.* Victorinus *contrà: quoties l & r seqvuntur, ait, n in ea mutari.* Priscianus *lib. 2. utrumq; approbat: malle se tamen, ait, irruo & irrumpo.*

Scribit etiam *Festus*, *inlaqueatum*, *inlex*, *inlicitator*, *inlicium*, *inlitteratus*, ut: inlitterata pax, quæ literis comprehensa non est: Lucretius & Livius, *inluvies*, ut notant *Gifanius*, & noster *VVeitzius* in Comment. Terent. p. 267. Verba Victorini supra in *conlega* vidimus: Prisciani verba notanda & sectanda: " In n terminatur antecedens syllabas sequentib⁹ c, vel d, vel f, vel g, vel altera n, vel q, vel r, ut quibusdam placet: vel s, vel t, vel j, vel u, etiam pro consonantibus positis, vel x, ut: *concinnus*, *mancus*, *conduco*, *pondus*, *confiteor*, *infundo*, *conjunctus*, *congius*, *annus*, *angulus*, *inquiro*, *conquiro*, *linquo*, *inrumpo*, *inruo*. In multis tamen invenio, r sequente, n in r converti, ut: *corruo*, *corrumpo*, & penè ubique cùm præpositio ante dictionem, ab r incipientem, componitur, hoc idem patitur, ut: corruo, corrigo. Nec mirum, cum apud Græcos auctores artium hoc idem soleat fieri, ut: συῤῥέω, συῤῥήγνυμι, συῤῥάπτω. Ergò rationabilius esse videtur, *in* quoque,

que, cùm in quibusdem mutet n, in r, ut *irrito, irrigu⁹*; in reliquis quoq;, euphonia id exigente, *servare, & irruo & irrumpo* dicere.

INCREBESCO] *à crebeo, sicut à rubeo, rubesco. Lambinus tamen & alii, increbresco, auctorib9 libris.*

Patet ex præterito, *increbuit*, quod omnes recipiunt auctores, præsens non esse increbesco, sed increbesco.

INTERNUNDINUM] *vulgò. Victorinus, internundinium, sicut interlunium.*

Duo hîc observanda: Primò aliud esse internundinum, aliud internundinium. Internundinum, ut Turnebus docet, est spatium, quod inter nundinas est, quomodo veteres Latini vocaverunt: ut intermenstruum, quod inter menses: Varro: *quoties priscus homo ac rusticus Rom. internundinum barbam radebat.* Lucilius: *paucorum atq; hoc pacto si nihil gustat internundinum*: quod Nonius duobus verbis divisum, inter nundinum legit, libr. 15. adv. c. 5.

Dein-

Deinde, velle quidem Manutium, Calepinum, & alios, ut internundiniũ dicam[9], ex Victorino, qui scirbat: "internundinium scribendum: ut interlunium & trinoctium: ita internundinium, quod novem dies inter se continuos habeat, non quod nono die sit.„ Sed quod tantorum pace dixerim, non tam internundinium, quàm internundium videtur scribendum. Unde enim n? Uti dico perdius & perdium: sic etiam rectè dico internundium. Et sic lego semel in editione Sanctandreana: *internundium scribendum* &c. deinde: ita *internundinium* &c. Alterutrinque erratum, ut apparet. Malim jam sequi analogiam, & scribere, internundium, quàm internundinium.

ACCUSATIVI PLURALES] *qui per IS terminantur, utrum per I longum scribi debeant, an per* ei *diphthongum, quæritur? A priori parte Diomedes, Priscianus, Libri & omnia monumenta antiqua: ab*

altera apud Carisium, Plinius & Ælius stilo stant.

Prolixus est Priscianus in docenda hujus accusativi formatione, & regulas aliquas multas præscribit: quas Grammatici ita coarctant: "antiqua diphthong', *ei*, invenitur in accusativis masculinorum & fœmininorum, quorum genitivi sunt nominativis similes, ut: omneis, salubreis, paneis. Quò referuntur & imbreis, Decembreis, palustreis, complureis &c. aut quorum nominativi in duas consonantes desinunt, ut: ars, pars, arteis, parteis. Sic & in pluralibus tantùm, ut: Sardeis, Tralleis." M. Erasmus Schmidius, Giesenses, alii.

Nihil autem de I longo apud Priscianum; sed *ei* à plurimis probatur, ut præter alios, à Varrone lib. 7. "negant, ullum casum duobus modis debuisse dici: quod sit contrà. Nam sine reprehensione vulgò alii dicunt in singulari, hac ovi & avi. Alii, hac ove & ave. In multitudinis, hæ puppeis,

peis, resteis, & hæ puppes, restes. Item, quod in *patrico casu* hoc genus dispariliter dicatur, civitatum, parentum: civitatium, parentium: in accusandi, hos monteis, fonteis, hos montes, fontes.,, Scribit *is* Ausonius Popma *i* breviculo: " nominativus & accusativus pluralis in *is*, ut: *omnis*. Terent. Andr. *omnis me gaudere*. Salluft. Catilina: *omnis homines, qui student sese præstare. Fontis, litis, montis, puppis, restis, navis, urbis*. Virgil. Georg. I.

---- *urbisne invisere Cæsar*.

Et Æneid. 5.

Quoq; magis fessas optem dimittere navis.

lib. 1. cap. 9. de usu antiquæ locutionis.

Videmus ergo, tam *ei*, quàm i, sed minusculum, occurrere: quanquam hoc non diffitemur, *ei* esse usitatius. Ælius Stilo, cujus Noster meminit, fuit M. Varronis præceptor litterarius, ab eo ipso discipulo suo, quo doctiorem res Romana habuit ne-

minem, rebus plurimis tantùm non acerbè suggillatus; in etymologia non paucorum verborum. *Barth.* l. 24. cap. 5.

M.

MONUMENTUM & MONIMENTUM, LACRUMÆ & LACRIMÆ, MANUBIÆ & MANIBIÆ, CONTUMELIA & CONTIMELIA.] *Indifferenter ab antiquis scripta fuisse Annejus Cornutus & marmora ostendunt.*

De lacruma superiùs. Monumenti & monimenti meminit Servius: " *monumenta sunt memoriæ: monimenta verò à mentis admonitione sunt dicta.* ,, sed hoc discrimen nemo attendit. Cæterùm dicitur monumentum, ut nocumentum, documentum &c. quamvis nec monimentum, omninò rejiciatur. Ut enim à lenitum fit lenimentum, à nutritum nutrimentum &c. ita à monitu monimentum: etsi illud frequentius. Vid. Becmanum.

Ma-

Manubiæ,(quòd manu capiantur) & contumelia; (à contumeo, quasi allo tumente & ego tumeo,& opposita elatione consurgo) propriè per u scribi debent, nec aliunde j, quàm crebrâ harum litterarum alterna migratione,ut loquitur Noster c.18,l.4. antiqq.lect.

N.

NAVUS, NAVITER,& NARUS SINE g LITTERA; SICUT NATUS] *Cicero ipse probat & Carisius. Nonius tamen, cum g littera, gnarus & gnaritas scribit.*

Navitas legitur apud Tullium: " istam operam tuam,*navitatem*,animum in remp,celeritati præturæ anteponendum censeo. Lib. 10.ep.25. ad famil. *Naviter* epist. 25, ad famil. *Naviter* ep. 12, l 5. ad fam. qui semel verecundiæ fineis transierit, eum benè & *naviter* oportet esse impudentem.,, Alibi apud eundem: *homo navus* & industrius: *navus & pudens &* pro-

probus filius. Item, narus, in Oratore: *noti erant, & navi, & nari, quibus cum IN praeponi oporteret; dulcius visum est, ignoti ignavi, ignari, dicere, quàm ut veritas postulabat.* Item, *natus*, id est, filius. De Amic. *ea charitas, quae est inter natos & parentes.* De finib: *à primo satu, quo à procreatoribus nati diliguntur.* Vult Scaliger cap. 19. de L. L. & alii, etiam *gnatus*, quod facilè toleramus, ex origine quippe alia enatum. Dicunt enim, *gnatus* esse quasi *generatus*. Vetus vocabularium: *est de naturali integritate istarum dictionum, quod dicitur gnatus, quasi generatus, & gnata, quasi generata.* Quò jam abibit prosthesis Scholasticorum?

NEGLEGO & INTELLEGO] *Priscianus & Libri veteres. Alii negligo & intelligo, per i, sicut colligo.*

Festus scribit, *neglegens*: neglegens non legens, neque electum habens, quid debeat facere. *Idem*: nec legens dictus est non legens, neq; dilectum habens,

habens, quid facere debeat, omissa ratione officii sui.

Verùm usus jam obtinuit, ut, quemadmodum *alligo, intelligo &c.* ita etiam negligo dicamus. Mirum equidem est, quomodo quisquam τῷ *neclegens* uti voluerit, vocabulo tam aspero! *Nam usq; adeo in quibusdam neq; rationem verbi, neq; consuetudinem, sed solam aurem secuti sunt, suis verba modulis pensitantem. Quod qui non sentiunt; quas aureis habeant, aut quid in iis hominis simile sit, nescio.* A. Gell. l. 13. c. 19.

P.

PENITRO] *per i: Eutyches & Etymologia, à penitùs. Alii tamen penetro, per e.*

Penetro mavult Nonius: *penetrare, cum vi ingredi. Penetrare, exire, proripere. Plautus Trinum: Quò illic homo foras se penetravit ædibus?* Quod idem placet Festo: scribit enim penetralia: itidem Servio. Penitro tamen improbari non potest. Fuit autem apud vete-

veteres frequens hæc alternatio, ut dicimus: meretrix & meritrix, genitrix & genetrix.

Q.

QVERELA] *vulgò ſcribitur. Alii per duo LL. querella ſcribendum contendunt: ſicut tabella dicimus, quod placebat Papyrio, & in lapidibus reperitur.*

Nonius ſcribit, *querela*; eodem modo *Cornelius Fronto*: quæ ſcriptura vitioſa non eſt. Eſt autem querella diminutivum potiùs, ut & tabella.

S.

SCÆNA] *cum diphthongo. Libri & lapides. Sine diphthongo. Græca conſuetudo, σκηνή.*

Qui per diphthongum ſcribunt, ſeqvuntur monumenta, & aliquam veterum conſvetudinem. Tales autem Priſcianus, Camerarius, Gifanius. Nos movet Scaliger hac ſua ratione: *in Æ diphthongum non mutatur*

tatur[n], *ut dixere: sed in e, illo exemplo* σκηνὴ, *scena: si enim diphthongum quispiam comminiscatur, id nulla faciat ratione*.c.26.de L.L. Videatur idem l.1. Poët.c.9.

T.

TRIGESIMUS, VIGESIMUS] *ratio & lapides. Pandectæ tamen, & aliquot veteres libri: trigensimus, vigensimus: errore scribentium, ut puto, qui lineam inductam super e longum, interpretati pro littera sunt.*

Benè, Lipsi optime! idem erat, supra in *deciens, totiens, quotiens* dicendum; ubi hæc fuere latiùs explicata.

V.

VALITUDO] *Analogia & libri veteres: valetudo nummi antiqui, & Horatius:*

Dura valetudo. ------

Prius illud probabilius videtur.

Est enim ex supino valitum: obstat tamen, quò minus eodem cum altero censu ponamus, usus. Quamvis

vis & posterius recipere liceat, si cum Aldo dicamus, ut à soleo duplex supinum, solitum & soletum, unde obsoletum; ita etiam à valeo, valitum & valetum: à quo valetudo.

ULYXES] *Libri: Ulysses vulgò. Illud ferè semper in libris antiquis: quia apud antiquos x valebat duplex ss.* Hæc de orthographia nobis dicenda fuerunt.

Eodem modo Tortelius: " Ulyxes cum y Græco, subsequente x consonante, scribitur, quippe apud Græcos cum duplicato ss scribitur, & o vocali in principio, ὀδυσσεύς, ubi δ in l etiam commutatur, sicut è contrario meditaris, pro melitaris.,,

Sanè tàm ex σ simplici Græcorum, quàm geminato prodire aliquando x Latinorum, tradit etiam Scaliger, ut: *ab* αἴας *Ajax, à* μάσσω *maxilla.* Sed de hoc posteriori non absq; causa dubitamus.

Latini autem, ut aliud nihil dicamus, in exprimendis gentium aliarum vocabulis sunt jucunditatis &

soni

ſoni mollioris ſtudioſiſſimi: quem cur hîc temerè negligant? Lepidiſsimè CL. *Corvinus*: Ulyſſes ſi hodiè ſe Ulyxem videret, mallet, credo à Polyphemo devoratus, à Circe in ſuem mutatus, à Sirenibus dilaniatus eſſe, quàm nomen ſuum à Criticis tàm miſerè habitum; obteſtareturque, ſat ſcio, Auguſtum Cæſarem, ut illis, tanquam data opera, rudibus & indoctis eſſe volentibus, alios ſucceſſores ſubmitteret; quod olim alicui, cujus manu *ixi*: pro *ipſi*, ſcriptum deprehenderat, ab Auguſto factum teſtatur Svetonius. Diſſert. Phil. 9. dub 8.

Hæc hactenus.



JUSTI

JUSTI LIPSII, DE VETERE LATINORUM SCRIPTURA.

TRACTATUS.

UT de *vetere Scriptura* pauca præmoneam: differt ea ab recentiore, quæ hodie in usu est, vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *utraq;*.

Quantitas in *additione* cernitur, vel detractione. *Additio*, aut *Vocalis* est, aut *Consonantis*. *Vocalis* additio, est in diphthongis EI & OU. Sic enim *Eidem Jous*, scripsêre; pro *Idem*, *Jus*. Sic *Leitem*, *Leimites*, *Meilitia*, *Opeima*; *Inveito*, pro *Litem*, *Limites*, *Militia*, *Opima*, *Invito*. Sic *Eito*, *Deixi*, *Seierit*, pro *Ito*, *Dixi*, *Sierit*. Item, *Quei*, *Sei*, *Nei*; pro *Qui*, *Si*, *Ni*, *Nei* tamen etiam pro *Ne* usurprâunt interdum, & quidem non raro. Sic *Utei*,

Vbei,

Vbei, *Ibei*, pro *Vti*, *Vbi*, *Ibi*. Eandem diphthongum usurparunt *in Genitivis singularibus*; ut *Dolei*, *Malei*, pro *Doli*, *Mali*. Item, *in Nominativis pluralibus*: ut *Jei*, *Trevirei*, *Decumanei*, pro *Ii*, *Treviri*, *Decumani*. Item, *in Dativis & Ablativis pluralibus*: ut *Ieis*, *Tertieis*, *Ricinieis*, pro *Iis*, *Tertiis*, Riciniis, præterea, *in Dativis singularib. tertiæ declinationis*: ut *Mortei*, *Clientei*, pro *Morti*, *Clienti*. Item *Alterei*, *Sibei*, pro *Alteri*, *Sibi*. Et frequentissimè *in Nominativis atq; Accusativis pluralib.* ut *Omneis*, *Civeis*, pro *Omnes*, *Cives*.

O verò ad U adjectæ, tum alia sunt exempla, tum hæc: *Jous*, *Jousta*, *Joudicare*, pro *Jus*, *Justa*, *Judicare*. Item *Souo*, *Louci*, *Doucito*, pro *Suo*, *Luci*, *Ducito*. In quibusdam utramque Diphthongum conjunxerunt: *Soueis*, *Joudicei*, pro *Suis*, *Judici*. In nonnullis U geminum usurparunt, pro OU seu U. ut *Pluus*, *Secuus*, pro *Plus*, *Secus*. Sic *Comitiatuu*, *Arbitratuu*, pro *Comitiatu*, *Arbitratu* Interdum O post

post U interseruerunt: ut *Queicoum-que*, pro *Quicunq*.

Consonantes quoque interserue-runt; ut *Quotiens*, *Quotienscunq*, pro *Quoties*, *Quotiescumq*. Sic *Exsigun-to*, *Exsercere*, pro *Exigunto*, *Exercere*. Item *Quips*, *Aliquips*, pro *Quis*, *Ali-quis*. In *Jouxsta* vero, pro *Juxta*, ge-mina est insertio; vocalis O & con-sonantis S.

In quibusdam integram syllaban interseruere: ut in *Postidea*, *Indete-stato*, pro *Postea*, *Intestato*. Ejus gene-ris etiam *Ævitas*, videri alicui possit, sed habet illud legitimam *ab avo* de-rivationem: in *Ætas* vero, quod pòst usurpari cœpit, facta est contra-ctio. Quibusdam à fronte consonan-tes adjecere: ut *Stlis*, pro *Lis*. Non-nullis in fine: ut *Ead*, *Tuod*, *Plebea*, *Fraudeb*, pro *Ea*, *Tuo*, *Plebe*, *Fraude*. Sic in verbis, *Datod*, *Removetod*, *Lui-tod*, *Estod*; pro *Dato*, *Removeto*, *Luito*, *Esto*: In *Exsercetod* autem geminat est additio; semivocalis S, & muta D. Sic in *Leibertated*, additio est Vo-calis E, & Consonantis D.

De

Detractio & ipsa, *vocalis* est, aut *consona*. *Vocalis*, detractio est in monophthongis illis: *Fenus*, *Femena*, pro *Fœnus*, *Fœmina*. Sic *Heres*, pro *Hæres*. Quamquam eam vocem non ab *hærendo*, sed ab *hero* deductam malunt eruditiores. Detractio etiam quibusdam videtur esse in verbis istis: *Adicito*, *Eicito*, *Deicitor*, *Conicere*, *Subicere*, pro *Adjicito*, *Ejicito*, *Dejicitor*, *Conjicere*, *Subjicere*. Quod si ita est, eadem ratione simplex *Icere*, contractum erit ex *Iacere*. Sic certe *Dis*, contractum ex *Diis*.

E *Consonantibus* etiam, quæ nunc geminari solent, omittebant alteram: ut *Osa*, *Clase*, pro *Ossa*, *Classe*. Item *Aceras*, *Conubia*, pro *Acerras*, *Connubia*: *Pelex*, *Tolito*, *Poluceto*, pro *Pellex*, *Tollito*, *Polluceto*.

Qualitas in commutatione potissimùm cernitur. Ea quoq; *Vocalis* est, aut *Consonantis Vocalis*: ut E pro I. Sic enim *Leber*, *Addecito*, scripsere; pro *Liber*, *Addicito*. Item U pro I, *Æstumata*, pro *Æstimata*. Sic *Optumus*,

I pro

pro *Optimus.* Eadem ratione *Post*-
mum, à veteribus dictum volunt er-
diti: ut significet non tam eum, q
post inhumatum patrem est editu
quam eum qui postremus patri, se
vivo, seu mortuo, natus est. Item
& Y: ut *Æguptus*, pro *Ægypt*
quemadmodum *Mus* quoque
Sus, & hujus generis alia, ex Græc
μῦς, σῦς. Frequentius O pro U: ut *T*
tela, *Porporea*, pro *Tutela*, *Purpure*
Sic *Osocapitor*, pro *Usucapitor.* Ite
Sopor, *Quomque*, pro *Super*, *Quum*
Sic in *Nominum* finibus: *Patrono*
Servos, pro *Patronus*, *Servus*. *Vitio*
Manom, pro *Vitium*, *Manum*. N
non in *Verborum* finibus: *Conseron*
Moritor, pro *Conserunt*, *Moritu*

In nonnullis geminatur hæc mu
tatio: ut *Piacolom*, *Fortom*, *Forato*
pro *Piaculum*, *Furtum*, *Furatus*.
quibusdam hæc cum superiore co
jungitur: ut *Leborom*, pro *Liberum*
Sic *Ædebos*, *Compedebos*, *Noctebo*
Tibicinebos, *Soperstetebos*, pro *Æd*
bus, *Compedibus*, *Noctibus*, *Tibicinibu*
Superstitibus.

Inte

Interdum dipthongo OE & OI, pro U longo, usi sunt: ut *Oetier*, *Oesocapio*, *Oesorpatum*, pro *Uti*, *Usucapio*, *Usurpatum*. Sic *Cœratores*, pro *Curatores*, OI pro U positum: in *Oitier*, *Oitile*, & consimilibus. Sic *Moincipium*, pro *Municipium*.

Consonantes quoque non paucas inter se commutarunt. C, pro G, frequenti in usu fuit. Sic enim *Cenas* dixerunt pro *Genas*. Sic *Frucem*, *Lece*; pro *Frugem*, *Lege*. Itidemq; *Lecere*, *Rocato*, pro *Legere*, *Rogato*. D, pro L, posuere, cum *Dingua*, dixere, *pro Lingua*. Sic *Fedetrio*, pro *Feretrio*.

F, pro B, usurparunt sequente Vau: ut *Afvirod*, pro *Ab viro*. Q. pro C. ut *Pequnia*, pro *Pecunia*. S. pro R. ut *Asa*, *Nesvo*, *Casmen*, pro *Ara*, *Nervo*, *Carmen*. Sic in nominum flexionibus: *Majose*, *Minose*, *Arboses*, *Plusa*, pro *Majore*, *Minore*, *Arbores*, *Plura*. Sic *Fenose unciasio*, pro *Fenore unciario*. Item in Verborum flexionibus: *Arasit*, *Vocasit*, *Secuesit*; pro *Ararit*, *Vocarit*, *Secuerit*. T, pro D, ut *Quit*, pro *Quid*.

In compositis, finalem Præpositionis consonantem plerumq; retinuerunt: ut *Conlegium, Inprobus, Adsignare, Adtribuere.* Interdum tamen etjam mutarunt; ut *Opsepico, Opturato, Optinere.*

In quibusdam geminata est commutatio; altera Consonantis, altera Vocalis, ut *Rocom, Flacitiom, Prodicos*, pro *Rogum, Flagitium, Prodigus.* Sic *Acrom, Acnom, Tienom*, pro *Agrum, Agnum, Tignum.* Item *Fidios*, pro *Filius*: *Osuagolatom*, pro *Obvagulatum*: *Poplicom*, pro *Puplicum*: *Quoi*, pro *Cui, Ausom*, pro *Aurum.* Sic *Capionitor*, pro *Capiuntur.*

In quibusdam duarum Vocalium, & unius Consonantis facta mutatio: ut *Contileom, Arnorsom*, seu *Asuorsom, Plusebos*, pro *Gentilium, Adversum, Pluribus.* In nonnullis gemina consonantis mutatio est; ut *Arteuesit*, pro *Arguerit.*

Interdum *quantitatis* metaplasmos conjunxerunt, additionem scilicet & detractionem: ut *Iousus, Iousit*, pro *Jussus,*

Iussus, Iussit. Sic *Poples, Confesei, Demiseiu*, pro *Populi*, *Confessi*, *Demissis*. Interdum ad *quantitatis* metaplasmum adjunxerunt metaplasmum *qualitatis*: ut cum unum idemq; vocabulum additione & commutatione transformarunt. Sic enim *Deicundo*, *Addeictos* usurpata; pro *Dicendo*, *Addictus*.

Sic *Maxsumo*, *Proxsumos*, *Fousiosos*, pro *Maximo*, *Proximus*, *Furiosus*. His adde *Endo*, *Entera*, *Sopera*, *Continoeis*, pro *In*, *Intra*, *Supra*, *Continuis*: In quibus commutatio præcedit; additio sequitur.

Detractionem quoque & commutationem quandoq; copularunt: idque commutatione interdum sequente: ut *Adecito*, *Poplos*, *Præsetebos*, pro *Addicito*, *Populus*, *Præsentibus*. Interdum præcedente: ut *Sobicito*, pro *Subjicito*. Sic *Olo*, pro *Ido*: Item *Fasis*, pro *Farris*. In quibusdam triplicatus est metaplasmus: ut *Pupilei*, *Præseted*, pro *Pupilli*, *Præsente*.

In *Nominum flexionibus*, præter su-

periora, notabilem mutationem habent: *Folminis. Ipsos, Im*; pro *Fulmen, Ipse, Eum* Sic *Olce*, pro *illi*. In *Verbis* quoque varii, præter supradictos, metaplasmi à veteribus facti sunt: ut in verbo substantivo *Escit* & *Esennt*, pro *Erit* & *Erunt*. Itemque *Siet, Sient*, pro *Sit, Sint*: & in futuro perfecto, *Fuat*, pro *Fuit*. Ejusdem futuri perfecti magna in illis quoque verbis est varietas: ut, *Vindicit, Verberit, Prohibesit, Occisit*, pro *Vindicavit, Verberarit, Prohibuerit, Occiderit*. Item *Tragit*, pro *Tetigerit*: *Pacit* & *Pacont*, pro *Pepigerit* & *Pepigerint*: *Faxsit, Rupsit*, pro *Fecerit, Ruperit*: *Paret, Cepet*, pro *Pararit, Ceperit*: *Misseit, Viveit*, pro *Miserit, Vixerit*. Item *Duit, Adduit, Conduit, Transduit*, pro *Dederit, Addiderit, Condiderit, Tradiderit*. In passiva etiam forma: *Turbassitur*, pro *Turbatum fuerit*: *Fariator, Nancitor*; pro *Fari velit, Nactus fuerit*. Item *Darier, Leibarier*; pro *Dari, Libari*. Sic *Oetier* & *Oitier*, pro *Vti*.

In

In *Conjunctis vocibus* facta interdum separatio: ut *endo*, *Indo*, *Indu*, pro *Endo*, *Indo*, *Indu*. Sic *Indo testato*, pro *Intestato*: *Endo ponito*, *Endo jacito*. *Endo manosjactio*, pro *Imponito*, *Injicit*, *Manuinjectio*. Item *Queicoumque*, pro *Quicunque*: & consimilia. Contra interdum conjunguntur, quæ alioqui separari solent: ut *Statoleberum*, pro *Statu liberum*.



JUSTI

JUSTI LIPSII, DE NOMINIBUS ROMANORUM.

TRACTATUS, COMPENDIOSÈ CONSCRIPTUS.

NOMINANDI ratio intricata apud Romanos: quam ut distinctè explicem; dicam quatuor capita. Primùm, de ingenuorum hominum nominibus: Secundò, de libertorum & servorum. Tertiò, de Fœminarum. Quartò, de Adoptivorum. Ingenuorum nomina Romæ aliter, quàm apud Græcos & Barbaros. Plerumque tria nomina; Prænomen, Nomen, Cognomen. Quo alludens Juvenalis, Satyr. 5.

--- Si

-- -- *Si quid tentaveris unquam*
Hiscere, tanquam habeas tria
nomina. -- --

Auson, in Grypho:

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

CAP. I.

PRÆNOMEN est, quod nominibus Gentiliciis præponitur, discriminis causa, inter fratres & Gentiles inventum, quod haud dubie respondet nostris nominibus, quæ appellamus, ut Petrus, Johannes, Jacobus, &c. Sed Prænomen natum est post nomen: & ideo servatum Romanis, ut nono quovis die, qui Lustricus dicebatur, nomina imponerentur pueris. Prænomina (ut Epitoma Valerii ex Scævola refert) non ante diem togæ virilis; id quod in Ciceronis Epistolis observare est, ubi Ciceronis pueri sine prænomine semper dicuntur. Post togam sumptam, Marcus filius, Quinctus filius. In imponen-

do servabant, ut plerumq; filius, major natu, prænomen ferret patris, secundus avi, vel patruorum. Pronomina ætate sua Varro scribit circa triginta fuisse, è quibus usitatissima 18. Quorum alia unica litera notantur, ut hæc undecim.

A. A. id est, *Aulus*, sic dictus, quasi
C. Diis alentibus nasceretur. C. id
D. est, *Cajus*, à gaudio parentnm. D. id est, *Decimus*, à numero nascen-
K. di. K. id est, *Cæso*, qui ex utero matris cæsus esset, Prænomen gentis
L. Fabiæ. L. id est, *Lucius*, sive à Lucomone Hetrusco, sive quod prima
M. luce natus esset. M. id est, *Marcus*, qui natus mense Martio, ut Valerius vult, vel potius nomen Oscum, ut Mamers & Mamercus,
M. M. *Manius*, vel qui mane natus esset, vel à Sabina lingua, qui ma-
N. num dicebant bonum. N. id est, *Numerius*, ominis causa à numeris
P. dictus. P. id est, *Publius*, vel à pube,
Q. vel quod gratus populo. Q. id est,
T. *Quinctius*, ab ordine nascendi. T.
id

id est, *Titus*, vox Sabina, vel, ut alii volunt, à tuendo, quòd patriam tuerentur. Duabus literis scribuntur quatuor. *AP.* ut *Appius*, Sabina vox ab Atta Clauso. *AP.*
CN. *Cneus*, à nævo corporis, quasi nævus. *CN.*
SP. *Spurius*, à causa pudenda, quia Sabinis spurium, dicta pars, qua fœmina est, Isidorus *lib.* 4. *Etym*, & Plutarchus, *in causis*, Aliàs dicebatur *Favonius*. *SP.*
TI. *Tiberius*, qui ad Tiberim natus. *TI.*
Tribus literis hæc tria. MAM. i, e. *Mamercus*, prænomen gentis Æmiliæ, dictum à Mamerte, quod Osca lingua Martem significat, authore Festo. *MAM.*
SER. id est, *Servius*, à Servo, quòd qui primus id prænomen tulit, in servitute natus esset. *SER.*
SEX. id est, *Sextus*, ab ordine nascendi. Et hæc de 18. prænominibus, quæ maxi- *SEX.*

mè sunt in usu. Sunt alia in veteri historia, aliquoties obvia, ut *Anchus*, *Arnus*, *Lar*, *Hostius*, *&c.*

DE NOMINE.

NOmen dicimus, quod perpetuum est in aliqua gente, & prænomen statim sequitur. Respondet Patronymicis Græcorum, notante Prisciano, *lib.* 2. Et ut illi *Æacidas* ab Æaco, *Thesidas* à Theseo: sic Romani *Iulios* à Julo: *Antonios* ab Antonio dixerunt. Itaq; res, digna nota, exceptis admodum paucis, omnia nomina gentilicia apud Romanos in jus desinere. Pauca, quę excipio, sunt, *Peducaus*, *Poppaus*, & fortassis *Norbanus*, quanquam verius sit, hujus familiam ignorari, quam ut Norbanus fuerit nomen. Nomina omnia gentilicia ducta, vel ab hominibus, vel ab animantibus, vel à locis, vel ab eventu.



DE

DE COGNOMINE.

COgnomen est, quod familiarum discernendarum causa tertio loco post nomen ponitur, id repertum à variis causis, quas omitto. Hoc noto, cognomina hæreditaria fuisse, sed ita, ut mutari à posteris, & nova sumi, fas fuerit. Noto hoc amplius, præter cognomen & tribum, solere addi semper auferendi casu, ut C. Verres Romulea, & Servius Sulpitius Lemonia.

CAP. II.

De Libertorum & Servorum nominibus.

QVæ dixi, pertinent ad ingenuos, addam de servis & libertis. Servi antiquitus non à suo nomine, sed Prænomine domini vocabant, ut Lucipor, Publipor, Marcipor, id est, Lucii puer, Publii puer, Marci puer, Quintil. *l.* 1. & Plin. *l.* 33. *c.* 1. Exolevit ille mos & obtinuit, ut uno saltem nomine, seu Græco, seu Latino vocarentur. Et plerumq; à patria, ut Da-

nus,Syrus, Geta. Iidem manumissi, in nomina Dominorum veniebant, cognomine excepto; loco cognominis vetus suum nomen retinebant; ut Marcus Tullius Tyro, Ciceronis libertus, Marcus Lucius Antonius. Quod idem socii & extranei servabant,ut cujus beneficio in civitatem Romam venissent, nomen ejus ferrent,& prænomen, & apud Ciceronem exempla,& historicos obvia.

CAP. III.

De nominibus fœminarum.

VEtustis temporibus & fœminas prænomina frequentasse,author est Varro,unde Caja,Cecilia, Lucia, Volumnia. Progressu temporis constat,non usas, sed tantùm gentis nomine, vel integro, vel molliter inflexo,appellatas, nec cognomen usurparunt,sed discriminis causa, ubi duæ sorores essent,servatum, ut altera Major diceretur, altera Minor. Ubi plures. Prima,Secunda, Tertia, Quarta, Quinta, Vel per diminutionem,

nem, Secundilla, Quartilla, Quintilla.

CAP. IV.

De nomine adoptivorum.

NEc aliud in nomenclatura Romana intricatum, præter adoptionem, per quam qui alterius familiæ fiebant, in omnia nomina transibant adoptantis, in Prænomen, Nomen & Cognomen; tantum ut priscum genus testarentur. In fine cognomen addebant, aut nomen; si cognomen, integrum servabant; si nomen; mutatum & inflexum. Exemplum servati cognominis, Marco Junio Bruto, quem adoptavit Q. Servilius, Cepio, Agalo: dictus igitur post adoptionem, C. Servilius, Cepio, Agalo, Brutus. Exemplum inflexi nominis, in C. Octavio, qui quoad adoptionem dictus C. Julius Cæsar Octavianus.

Finis Libri I. Apparatus Philologici.

Appa-



Apparatus Philologici Liber secundus.

I.

ERYCI PUTEANI FACULA DISTINCTIONUM:

Ad omnem LECTIONEM, & SCRIPTIONEM necessaria.

CAPUT I.

Præfatiuncula. Vrbis Comi, Lacusq; Larii encomium. Navigatio ad Muséum Iovianum. Occasio hinc sermonis.

C. PLINIUS SECUNDUS, Epistolarum Scriptor, suas olim delicias Urbem COMUM, Lacúmque LARIUM appellare solitus est; nec falso elegantiæ arbitrio, nos quoque, favente ævo, possumus; sed eò liberiùs, quia Patriam non laudamus.

Ro-

Romanus, Græcúsq; adhuc ſanguis in hac Coloniâ, id eſt Virtutis, & Litterarum ardor; quem virilis iſti, cultiq; Civium animi, pro genere & origine ſuâ ſpirant. Urbs quidem ipſa (ſic rerum humanarum vices ſunt) & belli furore, & ævi vetuſtate, non jam facie ac ſitu quibus fuit: deſtructa ſæpiùs, ut venuſtiùs ſurgeret: mutata ſæpiùs, ut pando tandem gremio influentem reciperet Lacum; quem productis utrimque chelis, totum complecti, velut maritum, conatur venuſtiſſima conjux. Bonum augurium! Quamdiu Lacus, Urbs quoq; erit: Comum, quamdiu res humanæ. Splendidiùs alibi vivere poſſis, nuſquam feliciùs. Sedem hîc Tranquillitas habet, & ipſæ Muſæ: habuerunt viri olim, & nuper quoque magni, Atlantes duraturæ Famæ. Preſſi veſtigia, memoriamque veneratus ſum: tuam, Plini, Platanum, nunc etiam non naturâ quidem, ſed commemoratione viridem & opacam: tuum, Jovi, ſubſtitutum laudabili opere

Mu-

Muséum, in quo sedere mihi nuper & disserere (cur non habitare?) contigit. Sermo super re minutâ, id est, DISTINCTIONE & INTERPUNCTIONE fuit: producendus loci caussâ, imò viri, à quo ductus, & ad dicendum allectus sum. Is RAPHAEL MONTORFANUS, prisci Candoris & Humanitatis Vir, gentis urbisq; suæ resplendens quædam gemma. Nam die quodam, cùm vix etiam culmina montium matutino Solis auspicio, ruberent, & in umbrâ adhuc tota vallis, velut in reliquiis noctis quiesceret; pransum me venit, & è pridiano pacto promissa impletum, de Muséo lustrando. Prima hæc cogitatio fuerat, & lubebat diluculò ire, priusquàm fugitivam crepusculi temperiem Sol altior fregisset, Æstas quippe erat, & valetudo utrique hoc iter suaserat, quæ Mediolani, furente jam Procyone, vacillabat. Hic verò mollius cœlum: præsertim lucis noctisque confinio. quin & aliquæ semper umbræ, à circumfuso montium jugo
in

in planitiem demissæ, diem mitigant. Quid silvas, fontes, rivos dicam? Quid urbem ipsam, *ad solas humani generis delicias institutam*, amœnitatis velut asylum? Ivimus igitur, & per forum ipsúmque templum periodo ambulationis confectâ, ad portum venimus. Cymba parata erat; hanc conscendimus, & leni remorum labore in Lacum evecti, vitreum illud gemmeúmque æquor cœpimus navigare. Bona voluptas, quæ conspirantium circumquaque rerum, & elementorum concordia! an potiùs æmulatio? Neges, alibi lætiori vultu Naturam ridere. Cum Cassiodoro dicam, lib. XI. Epist. XIV. *Lacus amplissimæ vallis, profunditate susceptus, concharum formas decenter imitatur, & spumeis litoris albore pingitur; circa quē conveniunt, in coronæ speciem, excelsorum Montium pulcherrima summitates: cujus oras, pratorum limitibus decenter ornata, quasi quodam cingulo Palladia silva perpetuis viriditatibus ambiuntur. super hac frondosa vinea latera*

latera montis adſcendunt. Apex autem, quaſi quibusdam capillis caſtanearum denſitate criſpatus, ornante Naturâ, depingitur. Litus imprimis oculos trahit, alibi in ſinus, tanquam ſpumantibus cedens undis, reductum; alibi in promontoria, audaci rupe aut ripâ excurrens. Videas, quicquid humana induſtria addere Naturæ potuit: opida crebra, & ſecundum ripam porrecta; villas frequentes; hortos Alcinoo invidendos; denique palatia robuſto non minùs opere, quàm lapide exſtructa. Sed Templa quoque facie & vetuſtate conſpicua, ſupercilium blandientis aquæ conſtipant. Quid decoram murorum turriumq; majeſtatem impediat, ubi ipſam marmor vile? Ex iisdem eruitur montibus, quibus inſtruitur; & oſtentant oræ, quicquid adhærentia juga, incluſis viſceribus, gignunt. Sed quid in Lacu etiam ſum, & amœnâ cogitatione abducor? Ivi, quò nec ſequi navicula potuit: vectus intereà, quò nec per-

pervenisse arbitrabar. In litore ecce lævo Muséum est, ad radices montis Olympini; & Plantanum illam Plinianam, quæ fuit, occupat. Properant nautæ, & spissato remigio stagnantem circa oras findunt aquam, appulsuri. Dum loquor, & me colligo, actam cymba premit, & se insinuat. Haut mora: prosilimus. Sed cur tanquam præsentia narro, quæ peracta? Admissi intra limen, loci Genium venerati uterq; sumus. Erant in primâ porticu & atrio elegantiæ non vulgares. Parietes fabuloso vatum ingenio pictor oppleverat, mixtis hinc inde venustissimo carminis nexu sententiis, elogiisque, quæ digna imprimis Musarum, Apollinisque Sacrario videbantur. Notavi autem sparsim totâ domo venerandæ Antiquitatis non proletaria monumenta, quæ ingenti olim curâ ipse JOVIUS conquisierat, ad ornatum loci. Itaque neglectis paullisper musteis renati ævi deliciis, inspicere signa, & perlegere marmora

cœpi,

cœpi, senio utraque obsita, & tantùm non religiosa. Postquam non infelici stilo imagines tentavi, etiam scriptura placuit; & sententiarum ordines pari conatu secutus sum. Lectionis auxilium ferebat Dux meus, & fugientes alibi litteras felici solertiâ investigabat. Verba, Puncta, Intervalla studiosè suggerebat. Hinc sermo περὶ στιγμῆς, sive *de Interpunctione*; atque adeò totâ DISTINCTIONE natus; quem nunc repetere, & consignare scripto aggredior, FACULAM bonis Litteris accensurus, quæ, detersâ involutæ sententiæ caligine, Lectionis pariter Scriptionisq; viam distinguat.

CAPUT II.

Distinctionis usus, & necessitas: velitans de his sermocinatio, & reipræstructa.

FLUCTUABAT incerto adhuc cursu sermonis auspicium, & animi potiùs caussâ, quàm doctrinæ loquebamur; cùm injectâ mihi leniter ma-

manu,vultúque ad blanditiem composito,sic MONTORFANUS infit: Perire Hercules tam bella occasio non debet. DISTINCTIONES exorsus es; sed frustrà, si transverso verborum impetu præcipitas. refer gressum,ut dirigas; & collecto robore, à carceribus hunc mihi circum decurre. PUT. Urgeri molestum est. & fac velle: quo voluptatis fructu primarum Litterarum istæ spinæ contrectentur? Deliciæ placeant: &, ut laxem animum, huc veni; non ut cruciem. MONT. Non audio: locus, tempus, fors ipsa bona suadent uti differas. An etjam verba tua,sed non tua, calco? Spinas vocet, quisquis mundam stili vestem lutulento fastu proterit. Mihi quidem sine his Punctis, Lineis, Notis, confusa & involuta oratio est. Adhibe; & in adspectum divisa membrorum venustas ersurget. PUT. At crudæ adhuc Minervæ hic labor, & ad umbraticum potiùs pulverem ferulámque relegandus. MONT. Repeto voces meas,

Non

Non audio. Linguam calamúmque intervallis suis sistere nemo poterit, sine jugi doctrinæ auxilio, aut maturâ judicii severitate. Discat prætextbra ætas herciscundæ orationis leges, virilis usurpet. Quid me respicis? Agè, mutare aut ponere paullisper robustam annorum auctoritatem paratus sum, ut discam: scire cupidus, sine quibus generosa eruditionis omnis dignitas squallet. Oraculum censeo, quisquis extulit, *Commentarii vice* DISTINCTIONEM *esse*, & nonne FACULAM LITTERARUM vocare hanc ipsam tute soles? PUT. Soleo: & quia ita vis, δᾳδοῦχος fio, & præluceo. Nam sic urgeri, non jam molestum (ut verba mea corrigam,) sed volupe est. MONT. Differe igitur. Et cur non in atrium istud proximum transimus? spatiosum est, & decoro fenestrarum ordine spirantes ab Arcto admittit auras, totamq; subjecti, & errantis LARII amœnitatem. PUT. Haveo. MONT. Atque hic non invenustâ te coronâ Auditores

tores stipabunt. PUT. Auditores? qui obsecro? num hesterni illi, & convivæ iterum, quos lautissima DONATI nostri, viri optimi, mensa junxerat, Candoris & Doctrinæ Mystæ? MONT. Hem, CICERONEM vis dicere, tum CIGALINUM, & utrumque MAGHINUM tuum. PUT. Volo: & quomodò tam maturi illi, aut quo itinere huc delati? MONT. Frustrà es: nî muscas amicos dicas, soli sumus, nec soli: σὺν Θεοῖς, ut Diogenis illud usurpem, Auditorum cingêris silentio, quos nec invenies. PUT. Hem, jam Musas tu vis dicere, tum Apollinem, & pictum illum, tot Virorum cœtum. MONT. Volo: & horum imagines dædala artificis manus animavit potiùs, quàm expressit. Extra jocum: me respice: theatrum tibi esse potero; si tu mihi, quod studiorum suorum consorti Epicurus. PUT. Omnibus modis obnoxium me desiderio tuo reddis. Ingenii igitur nunc subeo aleam, & ordior; vestigia pressurus, quæ ipse nuper in PA-

LATINA nostrâ, sed tumultuario labore, signavi. Primam enim Eloquentiæ ruditatem expellere DISTINCTIONE conatus sum, cùm omnes orationis limites Juventus sperneret, & sine pausis circuitus verborum anhelaret. Ut corpus aliquod sine membris deforme est: sic oratio, non divisa. Etiam *gradarium* Ciceronem fuisse, Romanæ Stoæ Arbiter testatur. Jure fuit. Nam sustineri primùm vocis Modulo, & Intervallo, sermo debet: mox Deliberationis aliquâ morâ suspendi; tandem Silentio deponi. Modulus autem adesse debet, ut pro sententiæ hiatu flectatur pronunciatio: Intervallum, ut interquiescat. Deliberationem, & Silentium addidi: illa Membra findit, hoc Periodos, & sententiarum, ut sic dicam, fines. Sed nos de Scriptione dicamus: cujus ut auspicium scias, stilum, vel etjam calamum, considera. Mucrone uterq; instructus est; nec scribere potes, nisi ut pungas. Hoc igitur locis suis fa-

faciendum, ne incerto gradu Lector erret, aut hæreat, aut fugientem ubique sensum casso conatu persequatur. Nam oratio in partes suas Secta, & Dispuncta, sine molestiâ se insinuat: imò, nisi Notæ ipsæ fallant, sine vitio quisq; leget, etjam quæ non intelliget. Illæ enim in hac viâ fidi velut Hermæ sunt: dirigunt, atque etjam manuducunt. Rectè Casiodorus, lib. I. Inst. divinar. lect. *Nam si corpus nostrum indiget per membra cognosci; cur lectio, cùm suis partibus videatur esse distincta, confusa relinquatur?* Planè ut in pronunciatione Intervalla quædam sunt, per quæ auditor sequitur, & sententiæ pondera expendit: ita in Scriptione Interpuncta, quæ Lector respirando premit, ac insistit. Jam verò dicentis Distinctio auribus digerenda; scribentis, oculis: utraq;, ut vim virtutémque sermonis animo per partes suas repræsentet: Sed vocis pausæ Tempore constant, illæ calami DISTINCTIONE. Aliàs, si perpetuo nexu

cuncta scribantur, obscura fiunt: veluti si continuo spiritu efferantur. Experire, dices. Excipit littera litteram, syllaba syllabam, dictio dictionem: si confundis, si imperitè secernis ac separas, in iisdem, titubante sensu, tenebris laboras. Etenim ut in agris arandis jugerum discretiones necessariæ sunt, & subsecantes lineæ, & lapides terminales: ita in Scriptione, quam *exarandi* verbo Antiqui donaverunt, *Sectiones, Partes, Notæ.*

CAPUT III.

Distinctio definita. Ejus munus, Secare, Partiri, Notare. Sectio & Partitio varia. De Commate, Colo, Periodo dictum.

DE his verò nunc ordine dicam. MONT. Me volente quidem: etsi nec ingrata præfatiuncula ista fuit; quippe colore quodam se insinuans, & luce, quam prælibo. Jam enim definivisse ipsam mihi DISTINCTIONEM videris, *Modum seu rationem esse, quâ, ad facilem legentis captum,*

ptum, *sermonem scriptum Secamus, Partimur, Notamus*. PUT. Omninò: nec aliter SECTIONES, PARTES, NOTAS accipies; & primæ quidem illæ faciunt Parteis, Notas admittunt. MONT. Perge igitur, ac robusto jam satis fundamento, explicationis tuæ molem instrue; verbo dicam: quam promittis FACULAM, accende. PUT. Quidni velim? tale hoc desiderium tuum, ut pro igni sit: & quidni facili igitur fomite flammula adoptetur? Animus, aures, oculi tui adsint. SECTIONES, & PARTES primæ sunt, iisque non uno modo scriptura obnoxia. Finduntur enim SENTENTIÆ, VERBA, ADFECTUS. Sententiæ partim *Junctura*, sive *Comprehensionis* caussâ partim *Metri*. Verba, *Syllabarum*, atque *Litterarum* quodam divortio. Adfectus, ut orationi vigor accedat. Sed primum sermonem Sententiæ sibi poscunt, præmittendæ: sequentur Verba: Adfectus claudent. Ad *Juncturam* igitur faciunt, decantatæ illæ magis, quàm in-

intellectæ partes, *Comma*, *Colon*, *Periodus*; quæ sciri & discerni in omni orationis corpore debent, ut sine tormento ingenii verborum ordinem, sensuúmque cognationem deprehendas. Quintilianus lib. IX. cap. IV. *Connexa series tres habet formas*: INCISA, quæ κόμματα dicuntur; MEMBRA, *quæ* κῶλα, *&* περίοδον, *quæ est* AMBITUS, *vel Circumductum*, *vel Continuatio*, *vel Conclusio*. Unde INCISUM definio, *Verbum*, *vel Verborum seriem*, *sensu numeróq; imperfectam*: MEMBRUM, *semiperfectam*: AMBITUM, *perfectam*. quasi dixeris, Incisum partem esse Membri, Membrum, Periodi. At Rhetoris nostri opinio est, loco dicto, Incisum esse *sensum, non expleto numero conclusum*. Et exemplum depromit è Cicerone; verborum quidem plurium, istud: *Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas*. Unius, istud: *Diximus, testes dare volumus*. Membrum verò esse *sensum, numeris conclusum, sed à toto corpore abruptum*,

ptum, & per se. nihil efficientem. Exemplum addit: *O callidos homines! ô rem excogitatam! ô ingenia metuenda! quem quaeso nostrûm fefellit, id vos ita esse facturos?* Interjungit autem, aitque, *O callidos homines!* perfectum esse; at remotum à ceteris, vim non habere; ut per se manum, pedem, & caput. Pariter &, *O rem excogitatam!* &, *O ingenia metuenda!* Tandem verò corpus esse, cum extrema venit conclusio: *Quem quaeso nostrum fefellit, id vos ita esse facturos?* Atque hæc omnia totidem verbis è Quinctiliano usurpavit Diomedes, lib. II. ubi de Compositione. Etiam Periodum variè efferri: *Ambitum, Circuitum, Comprehensionem, Continuationem, Circumscriptionem.* Compendium rei si amas, Isidorus complexus est, lib. II. Originum, cap. XVIII *Componitur autem, instruiturque omnis oratio Verbis, Commate, Colo, & Periodo. Comma, particula est sententiæ; Colon, membrum; Periodus, ambitus vel circuitus. Fit autem ex conjunctione*

ne verborum Comma, ex Commate Colon, ex Colis Periodus. Atque ita principium quoddam sententiæ, medium, atq; finem distinguis. Exemplum in eodem Scriptore sequitur; sed jam priùs Diomedi adductum, è principio Milonianæ. Usurpemus. *Etsi vereor, Judices*, Comma est. *Ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere;* Colon est, & semiperfecto sensu orationem suspendit, donec ad clausulam decurrens impletur Periodus, limitemque intellectus admittit. Ita Cicero ibidem concludit: *Veterem morem judiciorum requirunt.* Ubi tamen aliter paullò Diomedes: *Pristinum judiciorum morem minimè vident.* Sed nos totam periodum lustremus, ut scripta est, & per membra sua extensa. *Etsi vereor, Judices! ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere; miniméque deceat, cùm T. Annius Milo magis de Reipublicæ salute, quàm de suâ perturbetur, me ad ejus caussam parem animi magnitudinem adferre*
non

non posse: tamen hac novi judicii, nova forma terret oculos, qui quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum minimè vident. Ecce tibi Circuitum conclusum, id est, orationem partibus numerisque absolutam, & sensu perfectam, & intellectu facilem. Talis enim esse debet, etiam Quinctiliano suggerente: *Periodus sensum concludat; sit aperta, ut intelligi queat; non immodica, ut memoriâ contineri.* Addo, non immodica, ut decorè pronunciari; ne spiritus cum detrimento vocis torqueatur. Diomedes, & ex eo Isidorus modum hunc præscribunt: *Periodus autem longior esse non debet, quàm ut uno spiritu proferatur.* Imò ante hos Cicero, & ex eo Quinctilianus: ut distinctiùs etiam paullò post dicam. Periodum autem laxè hîc accipio, *Complexionem quamcunque verborum è Commatibus, Colisq́; constructam.* MONT. Heus tu, in viâ FACULAM quate, & reluctāti adhuc lychno plenam flammam immitte.

Sermo tuus caligine septus, tenue creperúmque spargit lumen. Et obsecro, quid aliud Periodus, quàm hujusmodi Complexio? Deinde, quomodò non è Commatibus, & Colis? Put. Parabam dicere. Nam aliud sanè, neque necessariò ex istis. Atque id nunc expedio.

Caput IV.

Vera à falsâ Periodo separata: reprehensi, qui confundunt. Falsam, orationis Fusæ esse; & in πνεῦμα, atque τάσιν extendi.

NOn profectò tam obviæ Periodi, quàm nominantur: & quod mireris, non cujusvis ingenii, sive stili. Nectunt nonnulli verba aliquot, aut phrases, etiam distinctam nescio quibus membris sententiam absolvunt: sed cùm ingenium torserint, & orationem fregerint, quia arte & exercitatione destituti sunt, sine viribus loquuntur. Horum tàm infelix conatus est, quàm laboriosa temeritas. Id enim agunt, quod non didicerunt.

cerunt. Etiam Scriptoris invadunt nomen, qui ne Latini quidem sunt; & cùm proprietatem puri ignorent sermonis, cæco impetu ad Metaphoræ audaciam confugiunt: Docti scilicet, Oratores, Panegyristæ, si quæ moroso compingant stilo nemo intelligat; & Suadæ oracula haberi debeant, in quibus magno Auctor ipse sensum labore quærit, nec invenit.

--- Quæris nec, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat?

Nimirum, etiam in eruditione audere, pulchrum est. Sed si verum amamus, non se capientis animi tumor, in verborum hanc vanitatem ebullit: casu, non arte, pruritus ille ingenii fertur: Comma, aut Colon infelicitas facit, cùm dicenda non occurrunt; &, quod rideas, oratio citiùs aut liber, quàm Periodus impletur. Isti tales, cùm Longi esse refugiunt,

animi linguæque frenum laxat, nectuntur partes, non reflectuntur. Atque id interpretare, *sine Conversione*: de quâ mox plura. Fusè & cùm nexu *Dialogi* solent, sæpè & *Historiæ* scribi, & si quæ *Affinia*. E Dialogis, primum Platonis de Republicâ vide, adsignante Demetrio: Κατέβην χθὲς εἰς τὸν Πειραιᾶ, usque ad illud, Ἄπ νῦν πρῶτον ἄγοντες. Ex Historiis, talem Herodoti esse, Aristoteles ipse pronunciat. Nec frustrà Quinctilianus, lib. IX. cap. IV. *Omnia Historiæ membra connexa esse* (σύνδεσμον vides;) *quoniam lubrica est, ac fluit: ut homines, qui manibus invicem apprehensis gradum firmant, continent, & continentur.* Addidi, Affinia, & quæ ista? Epistolæ pleræq;: tum Præcepta; si tamen docentis potiùs stilo, quàm insurgentis, expressa: nam & armari Oratorio interdum robore διδασκαλία solet. Ergò & Veterum alibi λέξις, præsertim humilior, sine vibrantis sententiæ gyro profusa est; & ipsa hodie Eloquentia ferè εἰρομένη: si tamen Elo-

princeps de re præſenti loquitur) πάντες βούλονται καθορᾶν. *Finem enim omnes volunt intueri.* Ergò & Intervalla hîc certa, & Partes, tanquam manipulos conſtituimus: & in hiſce, σῶμα, πνεῦμα, τάσιν: *Corpus, Spiritum, Extenſionem.* Corpus, καταχρηστικῶς Periodus eſt (& ſic quoque appellatur:) pars orationis Fuſæ, ſed quatuor, aut paucioribus membris concluſa. Quattuor Horatius complexus eſt, lib. 1. Od. IV.

Solvitur acris hiems grata vice veris & Favoni:
Trahúntque ſiccas machina carinas;
At neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.

Pauciora Salluſtius, Bello Catilinario: *Urbem Romam, ſicuti ego accepi, condidere, atque habuere initio Trojani; qui, Ænea duce, profugi ſedibus incertis vagabantur; cúmque his Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atq; ſolutum.*

Spi-

Spiritus verò est, cùm ultra τετρα-κωλίαν nexus dictionis productus, unâ vocis contentione absolvitur. Apud Oratores passim exempla sunt: Poëtam lubet citare, sed qui non minùs Eloquentiæ litavit, Petronium:

Artis severæ si quis amat effectus,
Mentémque magis applicat, priùs more
Frugalitatis lege polleat exactâ;
Nec curet alto regiam trucem vultu;
Cliénsque cœnas impotentium captet;
Nec perditis addictus, obruat vino
Mentis calorem; néve plausor in scenâ
Sedeat redemptus, Histrioniæ addictus.

Extensio denique, & hos limites spernens, libero cursu ultra Spiritus angustias procurrit: unde & plura orationis membra connectit, quàm ut unâ prolatione complectaris. Notabile in Ciceronis Milonianâ exemplum, ubi clamat reus, & gloriosè mentitur: *Occîdi, occîdi, non Spurium Melium, qui annonâ levandâ jacturisque*

risq; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi; non T. Gracchum, qui collegæ magistratum per seditionem abrogavit, quorum interfectores impleverunt orbem terrarum nominis sui gloriâ: sed eum (auderet enim dicere, cùm Patriam periculo suo liberavit,) cujus nefariam adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimæ feminæ comprehenderunt; eum, cujus Senatus solennes religiones expiandas sæpè censuit; eum, quem cum sorore germanâ nefarium stuprum fecisse L. Lucullus juratus se quæstionibus habitis dixit comperisse; eum, qui civem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes urbis ac civium conservatorem judicabant, servorum armis exterminavit; eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est. Satisnè Extendi? Jam aliquoties anhelum instauravi Spiritum, & vix trientem etiam spatii absolvi: plura & longo ordine sequuntur Cola, quæ legere equidem quàm audire te nunc

nunc malo; ne & mihi vox, & tibi aures pari lassitudine fatiscant.

CAPUT V.

De oratione Versâ: hanc propriè Periodum esse. Partes ejus examinatæ. Quæ item oratio περιοδική.

SAtis sic fusè de oratione Fusâ. Κατεστραμμένη, Aristoteli dicitur ἡ ἐν περιόδοις: *quæ in Peridis cernitur*, id est, quæ veras Periodos constituit, & *sententiam* (ut Martiani Capellæ verba sequar, lib. v.) *justâ quādam circumscriptione definit atque determinat.* Et quæ hæc Circumscriptio? in orbem (& jam insinuavi;) ut eò redeat vis sermonis, unde cœpit, & principium finémque ex sese, non autem aliunde invectum habeat. Sic Philosophus intelligendus: Λέγω δὲ περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὐτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. *Periodum orationem voca, quæ ipsa per se principium* (Hermogenes πρότασιν vocat) *tum magnitudinem, quæ uno facilè intuitu comprehendi possit.* Ergò per se; ut in suo

vel-

velut nascatur sensu, & denascatur. Quam etiam hîc τελευτὴν vides, alii ἀπόδοσιν, Demetrius καμπὴν καὶ συστροφὴν *flexionem & conversionem* explicat. Est autem huic Periodus, σύστημα ἐκ κώλων καὶ κομμάτων εὐκαταστρόφων πρὸς τὴν διάνοιαν τὴν ὑποκειμένην ἀπηρτισμένων: *Complexio Membrorum & Incisorum volubilium, quæ ad sententiam propositam perfectè accommodata sunt.* Volubilia igitur Membra, & Incisa puta, quæ in orbem ducuntur, & cum robore atque ingeniosâ redditione orationem concludunt. Exemplum à Cicerone petamus, qui peculiariter orationem pro Cæcinâ, & καταστροφικῶς exorsus est: *Si quantum in agro, locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret; non minùs in caussâ cederet A. Cæcina Sext. Æbutii impudentiæ, quàm tum in vi faciendâ audaciæ: verùm & illud considerati hominis esse putavit, quâ de re jure decertari oporteret, armis non contendere; & hoc constantis, quicum vi & armis certare no-*

luisset.

luisset, eum jure judicióque superar
Sed elegantiam istam summi Orato
ris Homuncio aliquis ex Arcadiâ ca
piet scilicet, qui eò eloquentiæ admi
rabili felicitate progressus est, ut ni
hil in toto invenire Cicerone possi
quod placeat. Hunc ego: an dico
Meliorem sermonem, & Periodum
duco, quàm ut inquinem: & sati
nunc repressisse publicam allatranti
petulantiam videbor, si contempse
ro. Ringat igitur, ego rideo. Here
nemini adhuc scriptus sum; scir
quædam possum, & silere. Sed scir
Periodum, & loqui; quam exempl
causâ, etiam de meo tibi adorno
MONT. Potes; & vel sic compendio
docueris, si quæ præcipis, etiam facis
PUT. Debeo: sed conatum meum
tu expende, in Oratione ad Senatum
MONT. *An Auspicali* illâ? audire lu
bet. PUT. Illâ: recito. *Quid magni*
ficentius, quid gloriosius sperare, imò o
ptare hoc munere potui? cujus si ma
gnitudinem specto fateri cogor penè im
merenti collatum esse; si promptitudi
nem

nem eorum, qui contulerunt, sine molestiâ ullâ obtentum. Quâ quidem ratione beneficentia Senatus undequaq; perfecta & absoluta videatur, nec merito meo imminuta, nec petitione extorta. Merentem enim munerari, præmium, haut beneficium est: quemadmodum & beneficii gratiam petitio labefactat. Ego certè neq; petivi hunc honorem, verecundiâ retardatus; neq; merui, ætate destitutus; tu tamen Amplissime Ordo, tanquam petenti confers, ne quid negasse ei videare, quem meruisse existimas; tanquam merenti exsolvis, ut debuisse te illi fateare, qui non petierat. Habes exemplum, de quo plura dicerem, nisi meum esset. Sed complexio ista certo quoque membrorum numero definitur: *Non brevior* (cum Cicerone exprimam, lib: 3. de Oratore,) *quàm aures expectent; aut longior, quàm vires atq; anima patiatur.* Est enim vel Δίκωλος, *Bimembris*; vel τρίκωλος, *Trimembris*; vel τετράκωλος, *Quadrimembris*: quos si limites excedit, non Periodus, sed

περιο-

περιοδικὴ oratio erit. Δίκωλος, unius Membris πρότασιν habet, ἀπόδοσιν, alterius: Τρίκωλος, vel πρότασιν duorum Membrorum, ἀπόδοσιν unius; vel πρότασιν unius, ἀπόδοσιν duorum. Τετράκωλος, vel πρότασιν unius Membri, ἀπόδοσιν trium; vel πρότασιν trium, ἀπόδοσιν unius; vel πρότασιν duorum, ἀπόδοσιν totidem. Signatum meum locum si examinas, partes has, etsi non ordine, invenies. Primò: *Merentem enim munerari, præmium, haut beneficium est: quemadmodum & beneficii gratiam petitio labefactat.* Δίκωλος est, & in priori Membro, *Merentem*, &c. πρότασις: in posteriori: *quemadmodum*, &c. ἀπόδοσις. Secundo. *Quid magnificentius, quid gloriosius sperare, imò optare hoc munere potui? cujus si magnitudinem specto, fateri cogor pœnè immerenti collatum esse; si promptitudinem eorum, qui contulerunt, sine molestiâ ullâ obtentum.* Τρίκωλος est; sed πρότασις, unius Membri, id est primi; reliquorum, ἀπόδοσις. Tertiò: *Ego verò*, & reliqua, τετράκωλος est; πρότασις, duo-

duorum membrorum; ἀποδόσεις totidem.

CAP. VI.

Circulus Oratorius, à circuitu separatus. Sine Commatibus, Colisque, Periodos aliquas esse; & in hæc posse produci. Genus dictionis κομματικόν.

NOn omnem verborum complexionem Periodum esse satis jam in aperto: addo, sed velut in transitu, etiam Cyclum à Periodo, sive Circulum à circuitu differre: quem inter schemata Hermogenes censet, & verborum duntaxat pulchritudinem sequi recurrentium. Cõsistit enim in principio solo ac fine; ut, quibus vocibus ordiaris sententiam, iisdem concludas. Sic Persius, Sat. 3.

Hoc est, quod palles; cur quis non prandeat; hoc est.

Sed nunc alterum tibi nubem depulsum eo, & sine Commatibus, Colisque Periodum esse posse, ostendo: quasi

quasi dicam, corpus aliquod sine membris, arborem sine ramis. MONT. An igitur & orationis quædam monstra sunt? PUT. Ac venusta quidem, imò valida. collectum enim robur est, paucisque in cumulum contractis verbis aculeus torquetur. Ut in globum echinus se contrahit, & undequaque pungit: sic & Periodus, hac de caussâ ἀφελὴς, sive μονόκωλος dicta. Hujusmodi sunt sententiæ, & brevia magnorum virorum dicta, sive Laconismi: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Γνῶθι σεαυτὸν. Σπουδαίως ζῆν ἄριστον: quæ unâ prolatione singula absolvuntur, & corpus (uti dixi) sine membris, arborem sine ramis constituunt: nisi tamen membra ramósque hic ipsa verba accipias; tanquam in massam, sive globum coacta. Hac enim brevitate qui sententiā exorsus fuit, simul absolvit; ac priusquam incidere, aut partiri orationem cœpit, conclusit: imò verò (si hoc magis placet) sine verborum auxilio & augmento incidit, & partitus est, quia non extendit.

Unde,

Unde, quia primus in omni compositione gradus Incisum est, possis & id genus brevia dicta cum Cicerone *Commata* appellare. Ita quidem Demetrius: Κόμμα ἐστὶ τὸ κώλου ἔλαττον. *Incisum est, quod membro minus est*: & exempla adfert, quæ partim expressimus: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Γνῶθι σεαυτόν. Ἕπου Θεῷ. *Dionysius Corinthi. Nosce teipsum. Morem gere DEO.* Atque hoc illud Hermogenis genus κομματικόν: quod non rectè ad scriptionis antiquæ modulos, sive distinctionem στίχων referas. Breves & accisæ sententiæ sunt, quibus oratio acuitur. In his tamen (quidni dicam?) plus ingenii quàm eloquii est. Paucissimis enim verbis constant; singulis, binis, ternis. Unde si dilatantur, pompam explicant, energiam amittunt. Idem Demetrius paradigmate rem illustrat, & ejus lubet verba sequi. Lacedæmonii Philippo scribebant, DIONYSIUS CORINTHI: quæ oratio sic breviter prolata, vim & acrimoniam habet; producta, verbis

crescit, sensu elanguescit. Pro
autem hoc modo possit: Ne imp
Philippe fidas, minisq; ferocias, D
nysius monet: is animos tuos qu
dam gerens, insignem tyrannut
git: at nunc è tantâ Fortunâ pr
psus, privatam Corinthi vitam
& cum miseriâ suâ luctatur. Plu
la hîc sunt; sed neque pungunt, n
objurgant; narrant potiùs: doc
tis magis, quàm terrentis oratio
& bilem omnem roburq; disso
Breves igitur sententias hasce si C
mata dixeris; absoluta existima,
neque ad Colon, neque ad Pe
dum respiciunt, ut perficiantur:
tanda haut aliter (sed de hac re
steà,) quàm Periodi solent. Sens
nim Circuitus sunt, formâ dunt
Incisa. Si quis autem proferre λ
illos limites volet, verum è Peri
Comma, atque etiam Colon effi
quam finiverat: ut Horatii illud

Eradenda Cupidinis
Pravi sunt elementa.

Sensu concluso Periodus est; adde quæ annexa, jam Comma fiet:

Eradenda Cupidinis
Pravi sunt elementa, & teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formanda studiis.

Iterum, hæc gnoma:

Vis consilî expers mole ruit suâ.

Periodus est: suspende sententiam, & Membrum inveneris:

Vis consilî expers mole ruit suâ:
Vim temperatam Dî quoq; provehunt
In majus.

Atque ita Periodum hic vides, nunc sine Commate & Colo, nunc ex utroq;; nunc Commate seorsim, nunc Colo componi: neque tamen volubilem esse, aut per partes suas ritè devolvi.

CAPUT VII.

In Metro etiam Comma, Colon, & Periodus; sed Metrica. De utroq; illo curiosius dictum. Suidas explicatus.

SEntentiam adhuc vidimus; sed in *Junctura*. Sequitur *Metrum*, & Dimensione suâ Sectionem admittit. Ut enim Periodus quædam Oratoria, sive soluta est; ita & Poëtica, sed carminis ratione definita. Partes ejus (& hîc nomina sequuntur) *Comma*, & *Colon*; & in versu Heroico, sive Hexametro constituuntur. PERIODUS igitur, *versus est*, id est, *Compositio sex conjugationibus* (συζυγίας Græci vocant) *absoluta*. Et rectè Periodus; quia eò Metrum redit, unde cœperat. METRUM est *curriculum syllabarum, certis & legitimis pedibus expeditum*. Sed & una συζυγία Metrum; unde Græcanico more, Dimeter, Trimeter, & Tetrameter Jambicus, atque Trochaicus. Et pes unus Metrum est: unde versus Hexameter, qui sex Metra habet. Et syllaba

una

una Metrum; quia ab hac mensurâ incipit. Addo ex Atilio Grammatico: *Ergò & Syllaba, à quâ Pes, & Pes à quo Syzygia, & Syzygia, à quâ Comma, & Comma à quo Colo, & Colon à quo Versus nascitur, Metra dicuntur.* Sed propriè nobis COLON *pars metri, quæ finitis constat pedibus, tanquam membrum integris conjugationibus compositum:* ut,

Infe|ctum elui|tur scelus.

ubi cum tertio pede verbum quoq; finitur, membrúmque consistit. COMMA verò, *pars membri, & in fisso, ut sic dicam, pede desinit*, Latinis *Incisio, Cæsum, Sectio*; ut,

Infe|ctum elui|tur.

Pes fissus, & velut laborans, hîc tertius: nondum enim expletus, atque binæ istæ voces truncum velut membrum reddunt, & à corpore amputant. Benè igitur Marius Victorinus, lib. 1. Artis Grammaticæ, definit Colon, *cùm integræ fuerint* συζυγίαι:

Comma, *cùm imperfectè.* Cola, *M*
do, & *Mensurâ* differunt. Mo
alia ἀρχικὰ, alia τελικὰ: illa initiis, h
clausulis versuum constant. Possi
& κοινὰ addi, sive *communia*, quæ n
trico nexu utrisque illis congruu
Mensurâ verò alia *Tetrametra*, a
Trimetra, alia *Dimetra*; cùm
quattuor, aut tres, aut duos pe
habent. In Heroico videlicet: n
in Jambico & Trochaico aliter M
eum jam constituimus. Exem
tem exponent: unde sumenda,
ex eo, qui ad manum mihi, & L
nam Heroici versus majestatem
fregit, lyræq; suæ aptavit? Τετράμ
ἀρχικὸν, lib. I. Ode 28.

Menso|rem cohi|bent Ar|chit

Τετράμετρον τελικὸν, ibidem:

Et cal|canda se|mel via|lethi

Τρίμετρον ἀρχικὸν, lib. 3. Ode 24.

Quid le|ges sine|moribus?

Τε

Τρίμετρον πλικὸν, lib. 4. Ode 13.

Annos | *fata de* | *derunt.*
- - - - | - - v v | - - v -

Δίμετρον ἀρχικὸν Horatius non usurpavit: ergò, Virgilio sumamus:

Huc cur | *sus fuit.*
- - - - | - - v v

Δίμετρον πλικὸν, Adonicum est, lib. 2. Ode 16.

Spernere | *vulgus.*
- - v v | - - - -

Jam verò *Commata*, seu usitato magis nobis vocabulo, *Casura*, Tres sunt; & totidem Cola jam dicta findunt: *Triemimeris*, *Penthemimeris*, *Hephthemimeris*, quas singulas alia κατὰ τροχαῖον, ut appellant, sequitur. Triemimeris, sive Semiternaria, tres pedes dividit, id est sesquipedem continet: post unum enim pedem superest syllaba. Virgilius, lib. 2.

Una sa | *lus.*
- - v v | - -

Penthemimeris, sive Semiquinaria, quinque dividit pedes, id est, duos, &

ſemipedem habet: poſt duos eni
pedes ſyllaba ſupereſt. Lib.4.

Nuſquam | tuta fi|des.

-- -- | -- v v | --

Hephthemimeris, ſive ſemiſeptenari
ſeptem dividit pedes, id eſt tres & ſe
mipedem includit: poſt tres enir
pedes ſyllaba ſupereſt. Idem lib.6

Quisque ſu|os pati|mur Ma|neis.

-- v v | -- v v | -- -- | --

Ut hæ partes ſunt: ita κατὰ τροχαῖον, i
κατὰ δεύτερον, κατὰ τρίτον, κατὰ τέταρτο
dividitur. Prima ſemiternariæ, ſe
cunda ſemiquinariæ, 3tia ſemiſepte
nariæ comes. Eſt igitur, κατὰ δεύτερον,
in quâ, finitâ parte orationis, poſt u-
num pedem, loco ſyllabæ relictæ,
Trochæus eſt, à quo & nomen. Da-
ctylus enim, qui ſequitur in fine, trun-
cus eſt, & brevi unâ hiat. Lib.1.

Inferrétque Deos latio.

Hic, *Infer|rétque,*

---- | -- v ut vides,

Cæſura κατὰ δεύτερον τροχαῖον. Sed κατὰ
τρίτον eſt, in quâ, finitâ parte orationis,
poſt duos pedes Trochæus. Lib.2.

In.

Infan|dum re|gina.
- - - - | - - - - | - - ᴗ

κατὰ πόδα, in quâ poſt tres pedes Trochæus. Eodem lib.

Rurſus in | arma ſe|ror, mor|témque.
- - ᴗ ᴗ | - - ᴗ ᴗ | - - - - | - - ᴗ

Hæc ſatis ſic clarè, & plenè: preſsiùs aliqui Comma & Colon Poëticum definiunt,& reſtringunt. Colon eſſe, *quod duas primas Conjugationes, ſive ſedes juſto ſyllabarum numero implet;* cujusmodi διμετρον ἀρχικὸν, de quo jam egimus.

Huc cur|ſus fuit.
- - - - | - - ᴗ ᴗ

Comma, *quod excedit, & poſt ternos pedes ſyllabam linquit, laborantem vel ut pedem.* talis Cæſura Penthemimeris:

Nuſquam | tuta fi|des.
- - - - | - - ᴗ ᴗ | - -

Sic quidem Iſidorus lib. 1. Orig. cap. 19. *Apud Poëtas, ubi in verſu poſt duos pedes ſyllaba remanet, Comma eſt; quia ibi poſt ſcanſionem præciſio verbi facta*

est. Ubi verò post duos pedes de pa
orationis nihil superest, Colon est. T
tus autem versus Periodus est. MON
Non possum quin interrumpam.
tymologici hujus scriptoris verba
vera, Comma Colo majus est. Q
potest? Tenebras mihi loquitur: f
tu iterum FACULAM quare, & imp
ditam adulto lychno flammam vi
dica. PUT. Quatio, vindico, & u
fumum omnem dispello. Comm
Isidori verbis, Colo majus est; f
non suo, ad sequens enim quod fi
ri è tribus conjugationibus poter
refertur. Id autem quia truncum,
parte sui incîsum, non jam Colon, f
Comma est: ut,

Scilicet | is supe|ris labor,
-- v v | - - v v | -- v v

Colon vides, sed nostrum illud ἀε
χὸν ἡμίμετρον. Si ultimam tollis vocem
scinditur, & in tribus duntaxat ve
bis Comma consistit.

Scilicet | is supe|ris.
-- v v | -- v v | --

Atque ita, quæ Metricæ Section
sun

ſunt, curioſâ induſtriâ complexus videor: etſi nolim ex hoc muſtaceo eruditionis laureolam quærere; aut tam ſeverus eſſe, ut vaniſsimos dicam, qui, ſpreto Grammaticæ Poëticæque contubernio, Eloquentiæ videri myſtæ volunt. Non ignobilem tamen olim penulam hanc fuiſſe, nobilis PALÆSTRA mea ſciat: etſi Nicanor aliquis Alexandrinus, qui ſub Hadriano vixit, & περὶ στιγμῆς (fortaſſis aptiùs στιγμῶν) καὶ τῆς παρ᾽ Ὁμήρῳ καὶ τῆς παρὰ Καλλιμάχῳ, *De interpunctione apud Homerum, & Callimachum*, ſcripſit; à quibusdam στιγματίας per cavillum dictus. περὶ στιγμῆς autem non tam de *Interpunctione*, quàm de *Cæſurâ*, ſive *Commate Poëtico* auſim interpretari; quia additur, τῆς παρ᾽ Ὁμήρῳ καὶ Καλλιμάχῳ: *quæ apud Homerum, & Callimachum*. Nam quod Suidas interjungit, καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ, *Et quod ex hisce ſententiæ diſcrimen*, ſibi habeat; interpretatio eſt, & à liberali nimiùm manu. Scio, aliter vir magnus nuper accepit, &

hanc mentem Nicanori attrib
sed mihi dissentire fas sit, jud ció
ut sic dicam, manumisso uti.
nec Eustathius τῆς διαφορᾶς ἐν δι
meminit, cùm tamen Nicano
nominet, ad 1. Iliados, & περὶ σ
scripsisse. Verba ejus: Ἐνοῖς Νι
ὁ στιγματίας ἐπικληθεὶς: διότι ἐπολυλ
περὶ στιγμῶν. *Inter hos Nicanor, ille C*
puncti nomen sortitus, quòd de Pu
copiosè egerat.

CAPUT IIX.

Verborum Sectio, quantum ad
lab Litteràsque. Mos A
sti. Quid Circumductio.
gulæ ivisionum.

AD verba nunc transeo, inqu
Syllabarum, ut dixi, atque *L*
rarum, ut conjugia, sic divortia s
sed Grammaticâ quadam lege, si
mittis, constituenda. MONT.
verò non permitto tantùm, sed
jubeóque. Nam scire, quod
clum nigellæ illæ Cadmi filiæ pat
tur, quod respuant, non exigua
ST

STINCTIONUM pars est. Sed hanc negligere nemo potest, nisi qui nitorem ipsum stili & eruditionis. PUT. Et tamen quotusquisq; circa minuta ista curiosus. MONT. Tam libenter ignoramus, quod pueri discunt; & quasi in elementis litteræ nuces sint, redire eò nolumus, unde ætas recessit. Sed isti tales saltem videant, quid ignorent: corrigere volent, in quo hallucinantur. Dic & doce. PUT. Hoc potiùs, ne verborum pompam quærere in Grammatico pulvere videar. Itaque de *Syllabis Litterisq;* cogitandum est, quoties in fine lineæ dictio finditur, & pars ejus transfertur. Augustus olim, cujus hæc in scriptione cura erat, *nec ubi Lectorem obturbaret ac moraretur*, transferre partes non solebat; sed subjicere, ac circumducere. Suetonius indicat cap. 87. *Notavi & in Chirographo ejus illa præcipuè: non dividit verba, nec ab extremâ parte versuum abundantes litteras in alterum transfert; sed ibidem statim subjicit, circumducitque.* Divi-

debat igitur, sed non longo intervallo: cùm spatium deficeret, subnectebat. In carmine nonne & nos facimus? en exemplum:

Dignum laude virum Musa vetat mori.

Cœlo Musa beat.

Addit Suetonius; *circumducitq́;*. & quæ hæc Circumductio? an illa, quam expressi? (Sed Princeps ille, notante Eruditorum hodie Principe CASAUBONO, L. litteram Latinam usurpabat: quæ & in nummis hoc usu & sensu conspicitur, &, ni ineptire velimus, pro signo inibi habenda. Illud nostrum [quantillum abit? Sed de Divisione dicamus. Hæc in Prosa, sed & quandoque in Metro. In Prosa, quæ (ut noster hodie scribendi modus) præfinitis paginarum limitibus stringitur & secatur. Unde, quia totum linea sensum non capit, calamusque suspenditur, sæpè in Colo laborat Periodus, in Commate Colon, in Verbo Comma, in Litteris Syllabisq; Verbum. Sallustii locum,

cum, de bello Jugurthino, ſic repræſento:

Quod ſi hominibus bonarum rerum tanta cura eſſet, quanto ſtudio aliena, ac nihil profutura, multum etiam periculoſa petunt; neque regerentur magis quàm regerent caſus; ac eò magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria æterni fierent.

In Metro etiam; ſed ratione Metri, cùm ὑπέρμετρον, ſive ὑπερκατάληκτον eſt; & in fine vel aſſumitur Syllaba, vel relegatur: atque tum συναλοιφὴ locum utrobique habet. Aſſumitur, apud Horatium, lib. 1. Ode 2.

Labitur ripa, Jove non probante, Uxorius amnis.

Relegatur, apud Virg. lib. 3.

Et ſpumas miſcent argenti, viváque ſulphura, Idaáſque pices, & pingueis unguine ceras.

Sectio igitur in eas litteras facienda, quæ ſeparari poſſunt: quod fiet, ſi Vocali, aut una, aut plures Conſonantes, cum quibus ſonat, adhærebunt:

bunt: ut, *Le go*, *Com-ptus*. A
ſtinctiùs? Una Conſonans inter
Vocales media ſequenti ſe ju
Di-co, *Di xi*, *A-go*, *Audio*. E
plures, quotiescunque in prin
jungi eædem poſſunt: *No ſter*, *A*-
A-ſper, *I-gnus*. Dicimus enim
Ptolomaus, *Spero*, *Gnarus*. Si non
ſunt, divelluntur: ut *Lampas*.
potuerunt autem, vel ſi forore
minæ ſunt: ut, *Pal-las*, *Ter ror*,
nus: vel ſi prior, aut utraq; liqu
ut, *Par-ca*, *Mar tius*, *Al-bus*, &
men, *Ter nus*, *Car men*. Excipi
ante N.ut, *O-mnis*. Hæ enim in
cipio copulantur: *Mnemoſ*
Sed dictiones compoſitæ in p
dividuntur, unde conflatæ: ut,
eo, *Ex-eo*, *Præter-eo*, *Neg-otium*: e
cùm plures Conſonantes ſunt:
traho, *Di phthongus*, *Aru ſpex*.

CAP. IX.

De Adfectibus, & potiſſimùm
Interrogatione dictum, ea q
do, & quomodò uſurpanda.

C

ORdo nunc ad *Adfectus* ducit: ii inter Schemata, coloresque orationis internos; & tanquam emineant, peculiaria quædam à communi scribentium usu signa acceperunt. In re notâ nolim verba conterere: quia hanc tamen ipse mihi provinciam præfinivi, exsequar; præter *Sententias, Verbáq;*, etiam quod Dispertiam dabo, ut mox Notem. Est igitur Adfectus *inflexio sermonis, quâ sive Interrogamus, sive urgemus, & conceptum animi motum cum Emphasi exprimimus.* Interrogamus simpliciter, cùm discendi tantùm gratiâ verba acuuntur, & responsum quærunt: ut apud Virgilium lib. I.

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?

Et lib. 8.

Qui genus? unde domo? pacémne adfertis, an arma?

Passim in sermone familiari? *Quid enim*, ut Fabius ait, libr. 9. cap. 2. *tàm commune, quàm interrogare, vel percunctari?* Urgemus, cùm quæ dicun-

tur

tur stimulant, & rectâ oratione acriora evadunt. Sic Cicero: *Quousque tandem abutere, Catilina, patientiâ nostrâ?* &, *Patere tua consilia non sentis?* Ignis & ardor in his verbis: at frigus & torpor, aliter si efferas: *Diu abuteris, Catilina, patientiâ nostrâ:* & *Patent tua consilia.* Similiter Medea apud Tragicum:

Servare potui: perdere an possim, rogas?

Quanto molliùs?

Servare potui: possim & aequè perdere.

Plura Quinctilianus, & plenam varietatis Figuram hanc ostendit. Ut parcè utamur, suadeo. Nisi facimus, ridiculi sumus, & in simpulo fluctus excitamus. Quid undas sequi studes, & insurgere? quandoque & in mari aequor placeat; in oratione tranquillitas: fluere eloquentiae mavult dignitas, quàm concuti; rerum pondera, quàm verborum & flexionis ludibria sequi. Ut navis, quae sine saburrâ, ubique jactatur, & pelagi velut lu-

lusus est: ita inanis, & doctrinæ vacuus sermo in pysmata nimis facilè subsilit, & nugatur: gravis ille, & seri⁹, decēti fertur motu, & afficit. Majestatē igitur assume quâ placeas: colorem misce, ut ex intervallo rideas, pessimum vitium, difficilis morositas: & dubites tamen, an magis peccet petulca levitas. Quædam sic scribuntur, ut sine stomacho non legas; quædam, ut non sine risu. Sed nolo paucorum superbam ac petulantem persequi inscitiam, nequis existat iterum, qui pluribus adscribat. Rectum stili ingeniique cultum præcipio: & ab eo igitur vitium si arceo, facere pro munere meo videor. Vitium autem, heroas adferre sensus; ut aut impari dictione violes involvásque; aut minutis interrogatiunculis imminuas. Sed de venosis illis obscurisque, alius erit dicendi locus: fractam hanc & compunctam, ut sic appellem, eloquentiam, quia Adfectus assumit, obiter hîc expendo. Stoïcorum fuisse, Cicero lib. 4. De Finibus testa-

jectatur: *Pungunt quasi aculeis,*
terrogatiunculis angustis, quibus et
qui assentiuntur, nihil commutanti
animo, & iidem abeunt qui vener
res enim fortasse vera, certè graves,
ita tractantur ut debent, sed aliqu
minutiùs. Peculiariter Catonis
se, idem ille, Prolcgo Paradoxor
Cato autem, perfectus meâ sente
Stoicus, & ea sentit, quæ non sanè
bantur in vulgus, & in eâ est hæresi,
nullum sequitur florem orationis,
dilatat argumentum; sed minutis
terrogationibus, & quasi Punctis, q
proposuit, efficit. An tale quid et
fortaſsis in Senecâ, & in copiosâ
acrique dictione Interrogatiunc
lasciviunt? Non opinor: temp
vit ille, etsi à Fabio reprehensus,
10. cap. 1. dictúsque *Rerum pond*
minutissimis sententiis fregisse. S
tentiæ hîc si puncta; non tamen
terrogatiunculæ sunt. In Porti
non in morbo; in hæresi, non
macie Sapiens ille fuit: ita pro m
familiæ suæ locutus, ut vitium de
na

narit. Sed quod ad ipsam ἐρώτησιν, elegantiam puta; & adhibendam, quoties simplici oratione melior est. Etenim cùm vitâ viribúsque, cùm motu & actu, ut sic dicam, opus; vide an Interrogatio donet. Stagnans perpetuò, & sine flexione Suada ignavum sermonem habet, neq; excitat: imò (Quinctiliani verbis exprimam, lib. 9. cap. 2.) *jacet, & velut agitante corpus spiritu caret.* Jam verò, ut ad Definitionem meam revertar, Conceptum animi motum cum Emphasi exprimimus *Admirando, Optando, Exclamando*, similibúsque: quæ omnia, ejusdem Rhetoris sententiâ, *amplificandi rationem habent*; amplificandi ratio, *illam plusquàm dixeris significationem, id est ἔμφασιν, & superlationem veritatis, & trajectionem.* Atque ita, *hi Adfectus concitati sunt effrenatione Iracundiâ, Objurgatione, Optatione; Exsecratione.* Sed de his satis jam multa: si tamen Parenthesin adjicio, quæ censeri inter schemata, & micare in scriptione solet,

let, unâ te molestiâ libero. M
Quânam obsecro? PUT. Exi
MONT. Lepidè dicis; sed
PUT. Imò feci. adjeci enim;
candam uberiùs, cùm Notar
dem incipiam.

CAPUT X.

Ad Notas sermo translatu
primò de Posituris: eæ,
Distinctio, Subdistinctio,
Grammaticorum de eisder
sensus.

SECTIONES, Partésque ab
Notandæ sunt, ut ad Signa se
ponat Lector, & primo intuit
tionis momenta discernat. Er
Sententiæ, & Verba, & Adfect
nuò expendendi. In sententii
cturæ imprimis industriam sc
tis exigunt, ut à Commate C
ab hoc Periodus separetur.
Metra suapte naturâ se produn
modulorum varietate. Ad
quod attinet, quoties divid
(prosam & carmen juxtà exsti

à syllabâ syllaba migrat, & Obelisco sive lineolâ libratâ separatur, sic -- : quidam geminam pingunt, sic =. Nec aliud hîc quo occuperis. Adfectus separatas suas Notas acceperunt, quas non invenustè adhibeas. In Juncturis ergò *Interpunctione* opus, ut ad singulas partes, aut Sustineri vox poßsit, aut Suspendi, aut Deponi. Interpunctionem non uno vocabulo Grammatici exprimunt. Sunt enim *Positura*, atque etiam peculiariter *Distinctiones* Latinè, θέσεις, sive στιγμαὶ Graecè. Diomedes nominat, libr. 2. de Pronunciatione: *Lectioni* POSITURAS *accedere, vel* DISTINCTIONES *oportet, quas Graci* θέσεις (velim hic addere, στιγμάς) *vocant*; Isidorus usum edocturus, etymon magis explicat, libr. 1. cap. 19. *Positura est figura ad distinguendos sensus, per Cola, & Commata, & Periodos: qua dum ordine suo apponitur, sensum nobis lectionis ostendit. Dicta autem Positura, vel quia Punctis positis annotantur; vel quia ibi vox pro intervallo Distinctionis*

de-

deponitur. Duplicem rationem adsignat, vel à signis, quæ figuntur, vel à pausis, quæ spiritum, jam labentem renovant, vocémque instaurant: etsi non propriè hîc ea *deponitur*; cùm in Colo, & Commate hæreat tantùm, ad Periodi metam progressura. Rectè igitur: *Positura est figura ad distinguendos sensus; per Cola, & Commata, & Periodos.* Cassiodorus ait, lib. I. Inst. Divin. lect. *à majoribus inventas* (non igitur suo ævo) *ut spiritus longâ dictione fatigatus, vires suas per spatia discreta resumeret.* Diomedes quidem sic intelligendus, lib. de Pronunciatione, jam signato: *Positura inter legendum dant copiam spiritus reficiendi, ne continuatione deficiat.* Sed idem Cassiodorus venustè usum hunc depingit: *Ista quidem Positura, seu Puncta, quasi quædam viæ sunt sensuum, & lumina dictionum; quæ sic Lectores dociles faciunt, tanquam si clarissimis expositoribus imbuantur.* Reliquum est, ut discrimen videamus: in quo Grammatici variant. Antiquiores ple-

plenam *Distinctionem* ponunt, *Subdistinctionem*, & *Mediam*, sive *Moram*. Græcè τελείαν, ὑποστιγμὴν, καὶ μέσην. Plena simpliciter quoque nonnunquam Distinctio (quasi *Disjunctio*; Isidori verbis, *quia integram separat sententiam*) ad Periodum refertur: Subdistinctio ad Colon; Media ad Comma. Sic Donatus, & ex illo Cassiodorus tradit: sic alii. Excerpere verba Diomedis lubet, qui explicatione suâ rem illustrat. DISTINCTIO, *est silentii nota consensu* (corrigo obiter *cum sensu*) *terminata, ubi est liberum cessare prolixiùs, ita ut neuter sui indigeat.* Quæ ultima verba à Sphynge contorta, negotium Oedipo facessant. Ego *neutrum* illum, seu ignotum, imò nullum habeo. An ad Silentium sensúmque referas? nugæ. Addit exemplum:

Numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoste
Mortales

SUBDISTINCTIO *est silentii nota legitimi, quâ pronunciationis terminus,*

 sen-

ſenſu manente, ita ſuſpenditur, ut ſta-tim id quod ſequitur, ſuccedere debeat. FACULAM admoveo. *Silentium le-gitimum*, haut dubiè Coli, & duntaxat à pleno diſtat. Manet ſenſus, ſed Suſpenditur. Id verò *quod ſequitur*, Periodi ſumma eſt. Poſtremò, quæ in Scriptionis ordine prima, MEDIA, ſive MORA, *eſt levis in continuatione ſenſuum interpoſita diſcretio, legitimæ Diſtinctionis Subdiſtinctionisq; me-dium obtinens locum: ita ut nec perfe-cta in totum, nec omiſſa videatur; ſed ſignificatione immorandi alterius deſi-deret principium ſenſus; & hoc ſolum-modo ſervat officium, ut legentis ſenſum breviſſimâ reſpiratione refoveat, & nu-triat. Sic enim pronunciando reticere quis debet, ut ſpiritus ipſe, quia defectio-ne quadam mutatur, deinde reſumi poſ-ſit.* Quæ hìc *breviſſima reſpiratio*, niſi ea quâ Comma ſuſtinetur? Exem-plum ne deſit, è Virgilio proponi-tur:

Ut belli ſignum Laurentii Turnus ab arce.

Ex-

Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu,
Utque acres concussit equos, utque intulit arma:
Extemplò turbati animi, simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævitq; juventus
Effera.

Omittere sine damno Distinctionis non possum, quæ idem Grammaticus addit; *Multa enim clausulæ sunt Mediæ hujus lectionis. Primum, ne confundantur quæ δίκωλα & τρίκωλα ponuntur, & talia. Deinde ut actus verborum emineat & luceat, qui ex aliquo movetur adfectu, vel indignatione, vel miseratione collatâ, vel certè cum quadam arctatione sermonis; quæ ἐμφαντικῶς à Poëtis congeruntur. Si quis igitur sine mediâ spiritus suspensione pronunciaverit* (exemplum etiam hîc habes:)

Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri;

confundetur ratio compositionis, in generali nomine ligni, machina, equi. Item,

--- Lectúmque jugalem,
Quo perii, superimponas,

minùs apertum, Subdistinguendum enim est, pro voluntate dicentis. Hoc autem voluit intelligi Dido, non esse lectum jugalem quo periret: Immorandum est ergò, & respirandum post Jugalem. & sit inferendum cum ἐπιτάσεως *adfectu, Quo perii.* At verò Isidorus invertit hæc Partium nomina, & Subdistinctionem ad Comma refert, Mediam ad Colon. Verba ejus lib. 1. cap. 19. *Prima Positura Subdistinctio dicitur; eadem & Comma. Media distinctio, sequens est; ipsa & Colon. Vltima distinctio, quæ totam sententiam claudit, ipsa & Periodus.* Vo-

cat ecce *Mediam*, quæ loco Media, etsi aliam ipse caussam adsignat. Sed nos plures illos sequamur.

Caput XI.

Distinctio, priusquam Positura essent, aut nulla, aut post singulas voces Lectio veteribus difficilis.

AN & plura dico? Mont. Nisi urgeri malis. Put. At jam omnia videor. Mont. Insinuasse, non dixisse. Enimverò in mediâ hæreo viâ, ac jam euntem error excipiat, si quam accendisti Facem, extinguas. Duci porrò debeo, non destitui: & lumine opus, ubi signa & vestigia quærenda. Nam Posituras illas tuas audio adhuc magis, quàm cerno: Notas mihi loqueris, nondum figis. Put. Nescio verò è nostrâ debeam, an è consuetudine paullò vetustiore: nam ab hac recedere nuper cœpimus, in litteris postquàm renascentibus curiosæ deliciæ placuerunt. Mont. Ex utraq; : etsi scire imprimis gestiam, quid, vigente

TUM. INJUSSU. EJUS. PROELIO. CONFLIXISSET ....

Etsi invenias quoque, è quib. stigmata omnia exulare sculptor voluit, & continuo nexu voces exprimere. Repræsento:

JOVI STATORI
HERCULI VICTO-
RI M. ULP. NER-
VA TRAJANUS
CÆSAR VICTO
DECEBALO DO-
MITA DACIA
VOTUM SOLVIT.

Sed hoc Græcanico more, ut Seneca satis insinuat, Epistolâ XL. ubi de celeritate orationis: *In Græcis hanc licentiam tuleris: nos etiam cùm scribimus, Interpungere consuevimus.* id est puncta velut sufflamina addimus, ut cursus ille verborum frangatur. Nam *Romanus sermo* (ut idem subdit) *magis se circumspicit & æstimat, & præbet æstimandum.* Quid igitur? Partes Sententiæ sive Membra, annon Di-

ſpungebant ? non : & in Cic
ſicubi *interpunctas clauſu as*, au
quid leges, ad Sectiones, Partes
fer, de quibus dixi : Notas enim
agnoſcit. Et in ipſo videamus,
3 de Oratore : *Interſpirationis*
defatigationis noſtræ; neq; librari
notis, ſed verborum & ſententi
modo Interpunctas Clauſulas in or
nibus eſſe voluerunt. Ecce Libr
rum Notæ, puncta poſt ſingula
ba. Verborum & ſententiarum
dus ; Diviſio illa ſive Partiti
Commata, Cola, Periodos. Pa
poſt : *Clauſulas atq; Interpuncta*
borum animæ interclusio atq; ang
ſpiritus attulerunt. Difficilis ig
apud Antiquos lectio, quia ſignis
Poſituris deſtituta : quam idc
partem primæ eruditionis Quin
tilianus facit libr. I. cap. VIII. *Sup*
Lectio, in quâ puer utſciat, ubi ſuſ
dere ſpiritum debeat, quo loco ver
diſtinguere, ubi claudatur ſenſus, u
incipiat; quando attollenda, vel ſubm
tenda ſit vox; quid quoq; flexu, q

lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum, demonstrari nisi in opere ipso non potest. Vnum est igitur quod in hac parte præcipiam: Vt omnia ista facere possit, intelligat. Lepidè Difficultatem hanc confirmat, quod ab Agellio narratur, libr. 13. cap. 29. Nam homo quidam ineptè gloriosus erat, qui stulta arrogantia Satirarum M. Varronis enarrationem venditabat. Hunc Agellius cum libro accessit, & pauculos Varronis versus legendos explicandosq; , in quibus vetus erat proverbium, *de Musica absconditâ* proposuit. At ille quæstione perculsus, *Lege,* inquit, *tu mihi potius, quæ non intelligis; ut & tibi ego enarrem.* Iterum Agellius: *quonam pacto legere ego possum, quæ non assequor? Indistincta namq; fient & confusa quæ legero, & tuam quoque impedient intentionem.* Quid fit? lubet ejusdem scriptoris verbis referre: *Tunc aliis etiam qui ibi aderant compluribus idem comprobantibus, desiderantibusq;, accepit à me librum veterem, fidei spectatæ,*

luculentè ſcriptum: accepit autem in conſtantiſſimo vultu & mœſtiſſimo. Se quid deinde dicam? non audeo Hercu poſtulare, ut id credatur mihi. pueri i ludo rudes, ſi eum librum accepiſſent non ii magis in legendo deridiculi fuiſ ſent: ita & ſententias intercîdebat, & verba corruptè pronunciabat. reddi igitur mihi librum, multis jam ridentibus; &, Vides, inquit, oculos meos agros aſſiduisque lucubrationibus propè jam perditos? Vix ipſos litterarum apices potui comprendere. cùm valebo ab oculis, reviſe ad me; & librum iſtum tibi totum legam. Benè ſit oculis boni Magiſtri! Sed profectò plures hodie ſic lippiant, niſi ſignis ſive Poſituris ducantur. MONT. Quando igitur eæ natæ, & quomodò notatæ? PUT. Alterum divinare poſſum, alterum ſcire. Caſsiodorus, ut monui, Majorum inventum facit. Et qui illi? an à temporibus Hadriani? & quia ſub illo Nicanor στιγματίας? Non arbitror: quia quæ ille περὶ στιγμῶν ἐπολυλόγησε, ad Cæſuras duntaxat referuntur,

&Poë-

& Poëticas observationes. Ergò incertæ, sed sequioris originis omnis hæc Notarum Positio, cùm insigni novitate labantes fulcire litteras viri industrii adnisi: qui profectò benè de Posteris mereri non poterant, nisi invenirent simul quod veteres ignorarunt.

CAPUT XII.

Quâ formâ, & ordine olim Distinctionum signa. In ordine Grammaticos variasse.

IPsas Notas nunc efformo, & hoc ago quod scire me dixi; ut & divinare de origine alius possit. Nam postquàm Distingvere viri docti cœperunt, solis & singulis Punctis, diverso situ locatis, singulas partes signabant, Comma videlicet, Colon, Periodum, Comma, puncto in versu, ad pectus, ut ita dicam, litteræ, ubi sermo sustinetur; & hæc Media distinctio; Colon, puncto ad fundum litteræ, ubi sermo suspenditur; & hæc Subdistinctio, Periodum, pun-

cto ad caput litteræ, sive supra versum, ubi sermo deponitur; & hæc plena distinctio. A Diomede hæc petita, lib. II. ubi de discretione. Verba promo, sed ut emendavi, cùm priùs mendis involuta, nullum recti sensus indicium darent: *Distinctio quidem est, apposito puncto, nota finiti sensus, vel pendentis mora. quod locis ponitur tribus*: SUMMO, *cùm sensum terminat, & vocatur Finalis à nobis; à Græcis* τελεία· MEDIO, *cùm respirandi spatium legendi dat, & dicitur Media, Græcè* μέση· IMO, *cùm lectionis interruptum tenorem, adhuc aliud illatura suspendit, & vocatur à Græcis* ὑποστιγμὴ, *à nostris Subdistinctio.* Atque ista sic intelligenda, ut *sensus terminum* ad Periodum referas; *respirandi spatium*, ad Comma; *Lectionis interruptum tenorem*, ad Colon. Nec moveare, Partium ordinem hîc confundi: Punctorum, Scriptor ille respexit, quæ *summo*, *medio*, *imo* loco ponuntur, & per gradus velut descendunt. Ceterùm, si à Commate, per

Co-

Colon, ad Periodum imus; Medium Punctum, primum est; Imum, secundum; Summum tertium: sicuti Media distinctio, Subdistinctio, Plena. Cassiodori verba adferre, abs re non fuerit, lib. I. de Divinis Lectionibus: *Istæ quidem Positura seu Puncta, quasi quædam viæ sunt sensuum, & lumina dictionum.* Et paullo pòst; *Prima est Media; secunda, Subdistinctio; tertia, Plena.* Ad Donatum deinde hic Scriptor Lectorem remittit, *brevi* istîc *compendio* (sic loquitur) *instruendum.* Ipsum videamus, Editione primâ: *Tres sunt Positura vel Distinctiones, quas* θέσεις *Græci vocant: Distinctio, Subdistinctio* (& hic ordo à fine est,) *Media distinctio. Distinctio est, ubi finitur plena sententia: hujus punctum ad summam litteram ponimus. Subdistinctio est, ubi non multum superest de sententiâ, quod tunc necessario separatum, mox inferendum sit: hujus punctum ad imam litteram ponimus. Media est, ubi ferè tantum de sententiâ superest, quantum*

jam diximus; cùm tamen respirandum sit: hujus punctum ad mediam ponimus ⁘ Tota ecce sententia Periodus dicitur, Summumque Punctum habet: cujus partes sunt Cola, & Commata. Sed ad Colon Subdistinctio, sive Imum Punctum; ad Comma, & respirationem, Media & Medium refertur. Donati locum Sergius explicat: *Dicta Distinctio est, vel Positura, quòd Positum Punctum Distinguit nostram orationem: & cùm Distinctio species sit Positura; tamen abusivè pro ipsâ Positurâ, hoc est, pro ipso genere Distinctionem habemus. Nam cùm sit codex emendatus Distinctione, Subdistinctione, & Mediâ distinctione; dicitur tamen codex esse Distinctus. Igitur Distinctio est Punctum appositum ad caput litteræ plenæ senten. Subdistinctione, Punctum appositum ad imam partem semiplenæ orationis. Media distinctio, Punctum appositum mediæ sententiæ; suspensæ propter respirationem.* Hìc *semiplena oratio*, Colon est; *Media sententia*,

tia, Comma, & respirationem habet. Aliter verò Isidorus: & Nomina ipsa, pro positione punctorum, invertit. Subdistinctionem enim vocat, cùm Punctum sub versu notatur; & sic Comma concludi. Mediam, cùm in medio versu; & sic Colon suspendi. Periodum tertia Positura signari. *Vbi in initio pronunciationis necdum plena pars sensus est, & tamen respirare oportet, fit Comma, id est, particula sensus; punctumq; ad imam litteram ponitur; & vocatur Subdistinctio; ab eo, quòd punctum subtus, id est ad imam litteram accipit. Vbi autem in sequentibus jam sententia sensum præstat, sed adhuc aliquid superest de sententiæ plenitudine, fit Colon; mediamque litteram puncto notamus; & Mediam distinctionem vocamus; quia punctum ad mediam litteram ponimus. Vbi verò jam per gradus pronunciando plenam sententiæ clausulam facimus, fit Periodus; punctumque ad caput litteræ ponimus, & vocatur Distinctio, id est, disjunctio; quia integram separat sen-*

ſententiam. In quâ locatione p
ctum vides tergemino attolli gr
& creſcentem velut orationem
qui. Naſcitur enim à Subdiſtinc
ne, ſurgit à Mediâ, conſiſtit in Pl
Diverſum etiam Marius Victor
docet, lib. I. Artis Grammaticæ,
de Orthographia: *Quando di*
gvitis, cùm erit perfecta oratio, & ſe
concluditur, inter noviſſimam verb
teram, & primam inſequentis, in ſ
riore parte verſus Punctum ponit
liud quam librarius inter duo verb
ſuit: quoties verò ante Diſtinct
mora fuerit neceſſaria ſimiliter
duas litteras ἀπλῶν *averſam, id eſt,*
licum ponite: ſi verò fuerit Hyperba
& longior ſenſus, alterum in imâ p
verſus, inter duas ſimiliter ut ſupr
teras, punctum clarum ponite:
priùs quàm Diſtinctum conclud
mora iterum fuerit neceſſaria, ἀπλ
verſam, id eſt, ſicilicum ſimiliter in
parte verſus ponite. A fine orditu
Notat ecce primò Periodum, p
cto ſummo: deinde Comma

Periodum, ſicilico; & hæc *mora neceſſaria*, ſive Media Diſtinctio: tertiò Colon, puncto imo: denique Comma ante Colon, ſicilico imo; quæ pariter *Mora*. Atque ita quattuor hîc Diſtinctiones habes: Commatis, Coli, iterum Commatis, & Periodi. Quem autem in primo Commate locum ſicilicus ſortitur, eundē punctus in Colo: ſic quem in ſecundo Commate ſicilicus, eundem punctus in Periodo. Aliter an interpretari locum hunc *Victorini* poſsis, equidem dubito. Sicilicum explicare Iſidorus videtur, lib. 1. Orig. cap. 26. *Vbi litteræ conſonantes geminabantur, ſicilicum ſuperponebant: ut, ſel'a, ſer'a, as'eres; pro ſella, ſerra, aſſeres. Veteres enim non duplicabant litteras, ſed ſuprà ſicilicos apponebant: quâ notâ admonebatur Lector geminandam eſſe litteram.* Unde noſtri illi apices, quibus M & N. ſignamus; quoties vocalem ſequuntur: ut *ãbitio*, *ambitio*; *ãnus*, *annus*. Et ſic in reliquis: etſi poſt I. elidi vix ſolent. Maluntenim Typogra-

graphi, *imber*, quàm *iber*; & *int*
quàm *iter*. Addit Isidorus: *Sicilic*
quia in Siciliâ inventus est. Recti
tamen à *siciliendo*, id est, secando (
ipsa *Sicilia*, quasi avulsa) dicatu
quòd semunciam dividat.

CAPUT XIII.

Nostra hodieq; Notæ an Positura
Pro Commate, Colo, Periodo v
riari. Colon item Periodus su
divisa.

SEd vix ad nostrum ista usum, q
in Punctis quoque reperire potu
mus, quod mutaretur. Nimirum
re minima ingeniosi, & circa næv
los occupati, sæpe lineamenta or
tionis & decôrem postponim
Hinc *N*otare membra ac Dispu
gere superstitiosa cuspide, pleriq; a
dent, cùm Partiri rudes: sat mag
scriptores, munus si librarii usu
pent. MONT. Fieri solet: quia tam
imperfecta omnis Sectio Divisioc
nisi Signa subsequantur, hæc quoq
adhibenda. PUT. Suadeo: sed si
sig

ſigna duntaxat habeamus, tàm novari facilia, quàm aliquando non uſurpata. Noſtrum igitur ævum novavit: nec malè, ſi facilitas quærenda, & in oratione, ut ſcire, ſic ſignare partes pulchrum eſt. Faciamus verò quod Grammatici olim, nec tamen facimus. MONT. Et capio ego quæ dicis, nec capio. PUT. Quid ita? MONT. Dubio & ancipiti verborum ſchemate ſenſum involvis. PUT. Explico: Notas mutavimus, & fecimus Diſtinguendo, ne Poſituræ eſſent. Etiam hæres? à loco & poſitione nomen hoc erat; unumque Punctum, variatim locatum, Mediam diſtinctionem, Subdiſtinctionem, Diſtinctionem efficiebat. Quid nos? loco & poſitione miſsis, à figurâ diſcrimen petiimus, & mutatis ſignis, non motis, Interpungere placuit. Ordine dicamus: *Comma* quidem virgulâ rectâ, aut leviter incurvatâ, hoc / vel iſto modo, idque interdum poſt ſingula verba, undante velut lectione; interdum poſt con-
juncta.

Partitione variâ habet, ii quæ omnibus, quæ Commatis & Coli media sunt. Notam sortitur, virgulam, sive dexteram semicirculi partem, cui punctum incumbat; Sallustius: *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore aliud promptum in linguâ habere; amicitias, inimicitiasq; non ex re, sed ex commodo æstimare; magisq; vultum quam ingenium bonum habere.* Majus Colon, sive ἁπλῶς Colon est, quod perfectum membrum continet, & absolutam Periodi partem: quemadmodum suprà explicui. Signatur gemino puncto; sive Distinctione, & Subdistinctione: quasi membrum quidem sit, sed Periodi aliquid habeat: ut in Semicolo alterum in virgulam punctum flexum est, quo affine comma ostendatur, Exemplum è Ciceronis Paradoxo 1. repræsento. *Nunquam mehercule ego neq; pecunias istorum, neq; tecta magnifica, neq; opes, neq; imperia, neq; eas quibus maximè obstricti sunt voluptates, in bonis rebus esse nu-*

numerandas duxi: quippe cùm
rem homines rebus his circumflu
ea tamen desiderare maximè, q
abundarent. Periodus reliqua
gnanda pariter, ut finiam. Er
hanc partimur, in *Majorem*, & *I*
rem. Major est, quæ sententiam
tus perfectam habet, nec sequ
prospicit. *Puncto* notatur, &
juscula excipitur Horatius li
Od. 16.

Lætus in præsens animus, quod
est
Oderit curare: & amara læto
Temperet risu. Nihil est ab o
Parte beatu

Minor autem, quæ perfecta qui
sed novum ex se sensum gignit
trahitur. *Semiperiodum* non i
voces, ad similitudinem Sem
cùm è Colo participet: ut Se
lon è Commate. Notatur pu
& Minuscula excipitur. Sallu
Nostra omnis vis in animo & c
sita est, animi imperio, corporis se
magis utimur. alterum nobis cum

alterum cum belluis commune est. Horatius lib. 3. Od. ib.

Quantoquisq; sibi plura negaverit,
A Diis plura feret, nil cupientium
Nudus castra pete, & transfuga divitum
Partes linquere gestio.

Sunt verò, qui hic Subdistinctione maiint, & tanquam membra separent, gemino Puncto uti. ne sequare: Periodi sunt, & talem igitur Notam jure adoptant. Non nego fuisse olim, quæ à Periodi ditione ad Colon traducta sunt: sed non ea tamen ejusmodi, ut omnem Semiperiodi Distinctionem diluant, limites evertant. Ergò in aliquibus innovare placuit, & ubi veteres Distinguebant, Subdistinguere. An & dico? ante Similitudines, voces Redditivas, & Transitus. Ita Diomedes: *Distinguere autem oportet ante similitudines, quas Græci παραβολὰς vocant; & ante voces redditivas, quas illi ἀνταποδόσεις, & si quando à persona ad personam transitus fuerit factus.* Nos hodie tanquam Cola

Cola notamus. MONT. Si[...]
jam capio, & in Latinis obtine[...]
teris: quid in Græcis? PUT. C[...]
tunè suggeris. nam illi ab h[...]
aliquantum abeunt, & ὑποστιγμ[...]
cto ad summam litteram expri[...]
στιγμὴ ad imam, contrariâ quàn[...]
apud Latinos Positurâ: μέση[...]
pari nobiscum virgulâ cædun[...]
duntq;.

CAPUT XIV.

Occasione Distinctionis Græc[...]
quoq. Litteræ commenda[...]
Adfectus deniq. dispunct[...]

ACcuratiores igitur in Lati[...]
mus, quod ad Notandi [...]
usum: & nunc quoque, tanq[...]
lege linguæ & majestate, Gra[...]
Cùm nulla olim Athenis Punc[...]
sent, nulla non verba apud Rom[...]
pungebantur: quia hodie P[...]
stigmata habent, Togati auxe[...]
Sed quid mirum, Græcas ferè D[...]
ctione destitui literas, quas c[...]
paucissimi tractant? Non a[...]

parum est, etiam odisse audent, qui non assequuntur. Atque utinam hi saltem Latini essent! Eruditionem discunt, ut ignorent tamen; & cùm hospites Athenis sint, etiam peregrinari in Latio coguntur. O miselli! Expecto quàm mox sine litteris docti sint, qui sine Græcanicis cœperunt: & qui Pallio carent, ne togam quoque non inveniant. MONT. Nihil potuit ad meum magis gustum: Osores hujus linguæ odi, ipsam amo, cui eruditionem, omnemq; elegantiam Latini debent: & sine quâ sæpe ne suam quidem intelligant, sæpiùs perperam scribant. PUT. Rem loqueris. Romana Orthographia, sine subsidio Græcarum litterarum fluctuat: & quot voces è media Hellade in urbem adscitæ sunt, & jure Quiritium donatæ! Etiam Romæ Græcia est. Sicuti qui uno pede gradi postulant, & unâ manu vitæ obire munia: ita qui sorores hasce linguas separant, & loqui, aut scribere Latinè se cum laude putant, sine subsidio

N ullo

ullo Grajo. Juventus audiat, & pro Dissertatiunculâ meâ nuperâ sapere incipiat; imò pro operâ, quam impendo. Equidem ne Latinas quidem litteras docere mihi videar, nisi Græcas conjungam. Itaq; & Distinctionem debui: etsi tamen Græcam malim ad Latinum quoque usum revocari. In lingvâ ipsâ quid Positura mutant? Faculæ sunt: at ignis flammaéque eadem ubique imago, & idem munus, ardere, lucere. Adde, quòd Latini accuratiores: & fas ab iis finium jura accipere, qui Terrarum orbem devicerunt. Mont. Tecum sentio. Sed nunc agè, metam cogita, & pulveris etiam, siquid reliqui, decurre. Put. An ergò reliqui? collegi, quidquid hic Circus objecit: ad ipsos omninò carceres jam relatus, non invenio, quod dicam. Mont. At ego, quod suggeram: *Adfectuum Notæ* ubi sunt? Put. Hem, tu quidem opportunè iterum: & pungere eos (adfectus inquam) audiam, qui pungunt ipsi, & transversùm sæpe
Bonam

Bonam Mentem trahunt. Nil admirari Sapiens solet: quàm Philologus abit! Exclamare imbecillus: sed quàm obvius, imò familiaris in re lætâ, tristi, novâ hic Adfectus? Optare, & vovere cupidus: & omnis tamen quotidie sermo sic anhelat. Sciscitari, quærere, interrogare, curiosus: & quis non ipsum quoque robustæ orationis corpus his identidem punctis mutilat? Non rejicio tamen Philologiæ has sive curas, sive delicias; sed tempero. Loco & tempore adhibendæ sunt; ne, qui color, fucus fiat; & in vitium elegantia migret. Boni quique scriptores modicè faciunt, & sequuntur, quod in eloquentiâ primum est. Adfectus igitur istos omnes, aliter Veteres, aliter nos Notamus. Illi interrogationem (agmen merito hæc ducat) Distinctione, id est, Puncto ad summam Litteram. Exclamationem, Admirationem, Optationem, & siquid reliquum est, Mediâ distinctione, id est, Puncto ad mediam Litteram.

Diomedes indicat, lib. II. ubi de D
ſcretione: ait enim Diſtinguendu
eſſe, *& ante Interrogativam, & p*
Interrogativam. De ceteris Ad
ſtib. paullo poſt. *Multa cauſſa M*
dia hujus diſtinctionis ſunt. Primu
ne confundantur, quæ δίκωλα *&* τρίκω
ponuntur. Deinde, ut actus verboru
emineat & luceat, qui ex aliquo m
veatur Adfectu, vel Indignatione, v
Miſeratione collatâ, vel certè cum qu
dam arctatione ſermonis; quæ ἐμφατικ
à Poëtis congeruntur. Sed, ut dixi, n
aliter hodie: & primùm, Interrog
tionis ſignum, Punctum cum flan
mula habemus: an ad vehementia
ſermonis indicandam ? hoc modo
In exemplo vide. Virgilius:

Uſq; adeone mori miſerum eſt ?

Horatius:

Damnoſa quid non imminuit dies
Sic igitur quandoque ſingula verb
quandoque conjuncta notantur
quandoq; ſententiæ duntaxat fini
Ipſe Adfectus ſuggeret. Neq; etian
Manutium hîc audio, qui in produ

&

ctâ ſententiâ evaneſcere vim Interrogationis cenſet, & ſpatio velut imminui, quæ in primis ſtatim verbis ſe prodebat: ideoq; ne quidem ſigno utendum. Sed quid hoc aliud, quàm ſagittam mittere, quæ citra ſcopum cadat? telum vibrare, quod non pertingat? Fruſtra interrogando primam attollis Periodum, niſi & ultima ſuſtentetur? imò aſſurgere tum imprimis vox debet, cùm ponenda, & undante velut niſu, atque adeò hemiolii chromate acui. Vide signum ipſum, annon hac ſimilitudine criſpatur? Adhibendum igitur, & vel tum maximè: cùm dubitare poſſis, an Interrogatio defecerit. Exemplum è Cicerone adjicio, V. Tuſcul. *Quo tandem igitur gaudio affici neceſſe eſt ſapientis animum, cum his habitantem pernoctantemq; curis; & cùm totius mundi motus converſionesq; perſpexerit, ſideraq; viderit innumerabilia cœlo inhærentia, cum ejus ipſius motu congruere, certis infixa ſedibus: ſeptem alia ſuos quæq; tenere curſus, multùm*

 in-

inter se aut altitudine, aut hum
distantia, quorum vagi motus, n
men & certa sui cursus spati
niant? Jam verò quæ ἐμφατικ
runtur, non longè ab hac no
eunt. Punctum est, strictam
lam, velut aculeum sustinens;
pingo! Ergò admirari, exclama
ptare, & ut verbo cuncta co
ctar, moveri ut videaris, sic o
Horatio alibi ab hac Distinctio
accedat:

Felices ter & ampliùs,
Quos irrupta tenet copu
malis
Divulsus querimoniis
Suprema citiùs solvet amo

Cicero insignem Exclamatio
tentiam extulit, Paradoxo 6.
immortales! non intelligunt h
quàm magnum vectigal sit parsi

CAPUT XV.

Quatuor modis fieri Paren
& Notari. Synopsis ope
conclusio.

De Parenthesi si adjecero, implevisse Distinctiones videbor. Latini *Interpositionem*, vel *Interclusionem* dicunt: in mediam enim orationem hospes, ut ita dicam, sensus admittitur, & hæret. Veteres plenâ Distinctione videntur signasse. Nos fisso ac divulso circulo, qui includit, & tanquam gemino termino à reliquo orationis corpore sejungit: sic ( ) Neque tamen simplici modo Interpositio ista fieri solet: quot partes orationis, quas distinguimus, tot loca; atque ipsæ interdum partes finduntur, quas non distinguimus. Inter Commata namque sedem sibi vindicat, inter Cola, inter Periodos; imò ut magis se insinuet, medium sæpius Comma occupat, mediumque Colon; & fit Distinctio, ubi non erat. Quadruplicem igitur Parenthesin facio: Simplicem, Commatis, Coli, Periodi. Simplex est, quæ verbis, non interruptis, inseritur; & notare communi more velim. In exemplum Virgilium produco:

Hac loca vi quondam, & va
vulsa ruinâ
(Tantum ævi longinqua va
tare vetustas)
Dissiluisse ferant.

Ut vides ipsa hîc quoque verb
una, sed secante Parenthesi dis
Commatis altera, quæ inter d
cisa. Signum idem: sed Med
stinctione pereat post Parent
semicirculo includenda. Hîc
& vocis Mora, & Commati
nunciatio flecti debet, ut seq
non tanquam à Parenthesi, sed
ciso distinguantur. Sallustiu
interpungo, Oratione I. de R
blicâ ordinanda: *Ac mihi an*
quibus rebus alii timent, maxim
ctus est, negotii magnitudine: &
tibi terra & maria simul omnia co
nenda sunt (quippe res parvas ta
ingenium attingere nequit,) magn
ra magna merces est. Tertia
quæ inter duo Membra. Signum
quoque non muto, sed augeo; &
in priori Media fuit Distinctio

Subdistinctionem pari de caussâ adjungo. Exemplum doceat, à Virgilio iterum sumptum:

Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam:)
Sed non & venisse volent.

Siquis etiam utrobique excuneare Posituram malit, & semicirculo adnectere),) facito: litem ei ob promotum limitem non intendam. Ultima Periodi, quæ inter duos Circuitus:. & tanquam Periodus ipsa fiat, positis lunulis σιγμὴν πλείαν adsumit. In Cicerone ostendo, 1. Paradoxo. *Quid Africanus Major? quid Minor? Quid inter horum ætates interjectus Cato? quid innumerabiles alii? Nam domesticis exemplis abundamus.* Rem, opinor, capis. MONT. Et capior, nam, præter novitatem (gratia ingenio tuo sit,) non parvum lumen orationi accedit. Turbari Insitione sententiam, obscurari Distinctionem necesse, nisi hac FACULA utamur. Accendisti, benè est: & perennem (ita voveo) usus faciet. Sed quid si

immiſſa oratio vim ſecum In
gandi, ſive Adfectum aliquem
ferat (& quàm frequenter
nonne & tale ſignum adhæ
PUT. Omninò; niſi ſatis puta
renthesin ſciri, diſcrimine om
glecto. In peregrino & adver
ſu vix virtutem ullam, aut ...
lum antiſigma diſtinguit. C
igitur habeat Notas, quas ex
tu, ipſam hanc FACULAM in
quam inſtitues, Lectione, atqu
ptione. Te ſepono, nequid p
bere infra ætatem videar: h
Filii tui, PAULUS MARIUS, &
NES BAPTISTA, optimæ ind
ingenii adoleſcentes, quos ad
tas Virtutemq; (præfiſcine di
genuiſſe mihi videris. An ali
gas? Ego ſurgo & eo. MONT.
ſi renitar. Audivi quæ bona, &
rum major etiam in uſu fruct'
tis igitur iſta, ut uſurpem. PUT
ſatis, niſi excedere me limite
velis, quos præſcripſi. *Sectione*

tes, *Notas* promiseram: absolvi. Breviter: *Secui* Partes, & *Notavi*.

- SECUI
  - *Sententias*,
    - *Junctura caussâ*, & *Metri*. *Utrobique Comma*, *Colon*, *Periodum*.
  - *Verba*,
    - *Litterarũ divortio*, & *Syllabarum*.
  - *Adffectus*,
    - *Interrogandi*,
    - *Optandi*,
    - *Exclamandi*, *similesque*.
- NOTAVI
  - *E more Veteri*, & *Nostro*.


MONT. Plenè omnia: at ego Mantissam aliquam exspectabam, de Distinctione Librorum, quam aliam olim fuisse, aliam nunc esse Viridocti indicarunt. PUT. Nec frustrà. Veteres in στίχους, sive *Versus*, scriptionem omnem, tanquam in manipulos certos partiebantur: & ab hoc numero

citari soliti; imò ab hoc nume
niversus cujusq; labor definieb
Prius, Asconius facit, in Ciceron
cis adsignandis. Posterius, Diog
in Aristotelis, & Chrysippi m
mentis censendis: item Plinii
Zoroastris. Nos aliter (nisi tam
Sacris Litteris hic usus supereſt
Opus aliquod in Tomos, sive V
mina; hæc in Libros; Libros in
pita, & τμήματα, sive Sectiones, a
inceps in Paginas Lineasq;, aut e
in Paragraphos separamus. De
bus quid statuere debeas, & an V
res usurparint, in Naviculâ di
Novum vigorem vitalis illa L
aura & amœnitas adspirab
MONT. Lepidè differs: & inter
lum ego esse sino, ut digestis pa
lùm exquisitissimis ferculis, DIST
CTIONUM tragemata quædam
staurato vigore, excipiam. Tu n
respira vicissim, & cape delicias,
dedisti. PUT. Imò capere debui
darem; horâ, & simul loco f
Nunc dum loquor, fervidis Sol q

drigis evectus, gratissimum illud ver dici discussit. Mehercle penetrat, quò nec radios misit, & in ipsâ jam umbrâ æstus est. Lustremus igitur quidquid Plinii hîc olim, nuper Jovii memoriam habet, & de Cymbâ, de Urbe cogitemus. MONT. At diem hunc ego MUSEO destinavi: & jam prandium jussi instrui, ut, si nomen placet, in Apollinis epulemur. PUT. Prandium ais? MONT. Experiere, an Liberi Cererisq; sodalitium Musæ admittant: & an æquare suavissimos sermones tuos Telluris nostræ Copia possit. PUT. Volens lubensq; & in hoc certamine vinci, non sine voluptate erit. Tanti autem facio, loqui potuisse, ubi scribere, imò habitare votum sit; ut celebrare Urbis vestræ delicias gestiam, quæ non parvam, à Museo famam acceperunt. MONT. Et à te accipient: sic scribere, & habitare detur. Ut magis etjam velis, diem impende: lustra (voces tibi tuas reddo) quidquid Plinii hîc olim, nuper Jovii memoriam ha-

bet.

bet. PUT. Hoc ipsum putem
prandere. Duc, & sequor. Peri
Hercules tam bella occasio
non debet.



ERYCI PUTEANI

περὶ στιγμῆς

SYNTAGMA

DICTATUM

publicè.


CAPUT I.

De origine, necessitate, & parti
Distinctionum: Ratione,
Normâ.

A BRUTIS Natura homin
Ratione, & Oratione secre
Hæc illius nuncia sive ministra, v
promit, & stilo enititur, quicq
mens ipsa concipit. Orationis er
scaturigo ab uno fonte animo, ge
na manat; in aërem, & in ceram, i

c

cum ipso susurro sive sono dilabitur ac perit, hic colligitur & durat. Ut „ autem dicenti recta Pronunciatio: „ sic legenti Distinctio usurpanda „ est. Illa auribus, hæc oculis capien- „ da: utraq;, ut vim virtutemq; sermonis animo sistat & patefaciat. Vox quidem & pausas suas habet, sed Temporis: & calamus sive stilus, sed Interpunctionis. Aliàs, si perpetuâ connexione cuncta scribuntur, obscura fiant: ut si continuo spiritu efferantur. Diomedes Grammaticus ad rem: *Lectioni* Posituras *accedere, vel* Distinctiones *oportet, quas Græci θέσεις vocant: quæ inter legendum dant copiam spiritus reficiendi, ne continuatione deficiat.* Ergò in Scriptione, Divisiones, earumq; Notæ necessariæ sunt. Oratio enim non dividitur tantùm; sed etiam signis quibusdam distinguitur, quæ duæ doctrinæ hujus partes sunt, ut *Rationem Dividendi* scias, & *Normam Interpungendi.*



CAPUT II.

Divisio in Comma, Colon, Periodum: singula definita, & explicata.

Dividitur autem Oratio vel in *Verba*, *Syllabas*, *Litteras* Grammaticâ quadam Lege: vel in *Periodos, Cola, Commata*, è Rhetorum præceptis. *Comma*, ut Isidorus explicat, *particula est*, (tu Incisum voca) *sententiæ*: *Colon, membrum*: *Periodus ambitus sive circuitus.* Exemplum è Cicerone, eidem scriptori citatum: *Etsi vereor Judices*, Comma est. sequitur aliud Comma: *ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere*: & factum est Colon, quod etsi intellectum sensui præstat; pendet tamen oratio, donec Periodus, sive extrema sententiæ clausula exprimatur. Pergo igitur, & protollo lectionem: *minimèq; deceat, cùm T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute, quàm de suâ, perturbetur, me ad ejus caussam parem*

ani-

animi magnitudinem afferre non posse: tamen hac novi judicii nova forma terret oculos, qui quocunq; inciderint, veterem consvetudinem fori, & pristinum morem judiciorum requirunt. Ecce tibi Periodum conclusam, id est orationem numeris absolutam, & sensu perfectam, & intellectu facilem. Talis enim esse debet. Quinctilianus: *Periodus sensum concludat; sit aperta, ut intelligi queat; non immodica, ut memoriâ contineri.* Addo, non immodica, ut decorè pronunciari; ne spiritus cum detrimento vocis torqueatur. Moneris ab Isidoro: *Periodus autem longior esse non debet, quàm ut uno spiritu proferatur.* De Periodo quidem sic cense: sed Cola, & Commata orationes imperfectas, &, ut ita dicam, laborantes esse. Partes n. illius sunt, id est orationis perfectæ, & ex partibus perfectæ. Ut autem ab origine rem repetam, & in verba pauca includam, è Litteris Syllaba fit, è Syllabis Verbum, è Verbis Comma, è Commatibus Colon, è

Co-

Colis Periodus Periodus: etsi tan
non perpetuò, in Medio prælert
& Infimo charactere dicendi. N
uti eadem dictio interdum littera, sy
ba, & verbum est: exempli cau
in hac ipsâ Præpositione E: *sic ead*
oratio, Comma, Colon, ac Periodus
Horatius:

Perrupit Acheronta Herculeus
bor.
Nil mortalibus arduum est.

CAPUT III.

Interpunctionis partes deinceps e
pressæ: Distinctio, Subdistinct
media Distinctio.

DE *Ratione* satis superq;: ad *N*
mam, sive *Interpunctionem* tr
seo. Eæ Notæ sive Stigmata su
quibus orationis illæ Partes afficiu
tur; à Grammaticis *Distinctiones*, si
Positura dictæ. Isidorus scribit: *P*
SITURA est figura ad distinguend
sensus per Cola, & Commata, & Peri
d

dos: quæ dum ordine suo apponitur, sensum nobis Lectionis ostendit. Dictæ autem Positura, vel quia Punctis positis annotantur; vel quia ibi vox pro intervallo distinctionis deponitur. Has Græci θέσεις vocant, Latini Posituras. Sunt autem tres: *Media distinctio*, & ad Comma refertur; *Subdistinctio*, & ad Colon, *Vltima distinctio*, sive *Distinctio* (nam species ista generis quoque nomen sibi vindicat.) & ad Periodum. Ordine dicam: Media distinctio, quæ etiam Mora, Græcè μέση στιγμὴ Diomedi definitur, *Levis in continuatione sensuum interposita discretio; legitimæ Distinctionis, Subdistinctionisque medium obtinens locum: ita ut nec perfecta in totam, nec omissa videatur, sed significatione immorandi alterius desideret principium sensus; & hoc solummodo servat officium, ut brevissimâ respiratione refoveat, & nutriat.* Subdistinctio, Græcè ὑποστιγμὴ eidem est, *Silentii nota legitimi, quâ pronunciationis terminus, sensu manente, ita suspenditur; ut statim id quod se-*

sequitur succedere debeat. Di
denique, Græcè πλεῖα, *Silen*
consensu (mendum est: corri
sensu) *terminata.* Sed hun
nem invertit Isidorus, & ad C
Subdistinctionem refert, ad
Mediam distinctionem, ad
dum Ultimam.

CAPUT IV.

Modus notandi quis apud
quos. Diomedis, & alter
ri locus correctus.

NOtandi verò ritus alius, &
stro olim diversus. Postq
nim notare Docti cœperunt,
singulis punctis variè locatis si
" partes signabant: Comma p
" in medio versu; Colon, p
" sub versu; Periodum, punc
pra versum. Locus Diomedis
gmatis hisce clarum idipsum
ni stigmatias ipse: certè in exe
ribus quæ vidi Lectio ita co
est: *Distinctio quidem est ap*
puncti, non finiti sensus, vel pen

mora, qua locis ponitur tribus. Summo consensum terminat, & vocatur finalis à nobis, à Gracis τελεία, *media cùm respirandi spatium legenti dat, & dicitur media Gracè* μέση *cùm lectionis interruptum tenorem aliud adhuc illatura suspendit, & vocatur à Gratis* ὑποστιγμή, *à nobis subdistinctio.* An guttam boni sensus videas? Confusio, mehercules, & tenebræ sunt, sine distinctione: Distinctio. Itaque rescribo, & illustro, nisi me conjectura fallat: *Distinctio quidem est appositio puncti; non finiti sensus, vel pendentis mora, qua locis ponitur tribus: SVMMO, cùm sensum terminat, & vocatur Finalis à nobis, à Gracis* τελεία. *MEDIO, cùm respirandi spatium legenti dat* (hujusmodi Comma est,) *& dicitur Media, Gracè* μέση: *IMO, cùm lectionis interruptum tenorem aliud adhuc illatura suspendit* (Colon intellige) *& vocatur à Gracis* ὑποστιγμή, *à nobis Subdistinctio.* Feci ex *consensum*, *cùm sensum*, divulsis dictionibus, quæ malè coiverant; è *media*, *medio*, ut subintelligas

gas *loco:* vocem *imo* in peri
pulsam ac intermortuam e
verbis ipsius Diomedis. Is
pòst ampliùs notas illas not
Subdistictionis *punctum sub v*
situm esse: sed quid hoc aliud
imum? Suggestorum etiam
tum dono, qui pauca, sed p
Distinctio est, ubi finitur plena
tia: hujus punctum ad summa
ram ponimus. Subdistinctio est
multum superest de sententiâ; q
men necessariò mox inferendum
jus punctum ad IMAM litte
nimus. Media est, ubi ferè
de sententiâ superest, quantum
ximus; cùm tamen respirandu
jus punctum ad mediam littera
mus. Largus alienis verbis
tamen proferre Isidorum qu
bet, non ut doctrinam hanc
am: discrepat enim; sed u
eum & agnato mendo, quod
mede obrepserat, liberem.
dem Posituris scribens, *Vbi*,
in initio pronunciationis necdu

Pars sensus est, & tamen respirare oportet, fit Comma, id est particula sensus; punctúsq; ad unam (rescribe *imam*) *litteram ponitur, & vocatur Subdistinctio; ab eo, quòd punctum subtùs, id est ad unam* (denuò rescribe *imam*) *litteram accipit.* Discrimen ecce à nomine est, & positione puncti. Alioquin Subdistinctio dicitur, quia proximè ad Ultimam distinctionem accedit. Reliqua videamus. *Vbi autem in sequentibus jam sententia sensum præstat, sed adhuc aliquid superest de sententiæ plenitudine, fit Colon; mediamq;* (alii imam) *litteram puncto notamus, & Mediam Distinctionem* (imò Subdistinctionem) *vocamus; quia punctum ad mediam litteram ponimus. Vbi verò jam per gradus pronunciando plenam sententiæ clausulam facimus, fit Periodus; punctumq; ad caput litteræ ponimus & vocatur Distinctio, id est disjunctio; quia integram separat sententiam.*



CAPUT V.

Quæ notandi formæ hodiè obt-
nuit: in Commate, & Colo. H
divisum in Majus, & Minus.

INterpunctio ista sic olim fuit, s
fuit: mutata verò aut neglect
cùm in characteres Latinos Barb
ries impetum fecit. Quid mirum
cum veste fimbria perit. Benè t
men; quòd non ipsum Distinction
corpus, membraq; Orationis cor
vulsa & fracta: quæ in aliud ævu
reservata, aliam Notarum forma
induerunt; sive quia prior evanu
rat, sive vitio innovandi. Tædiu
enim à longiori usu:

Posteriorq; ferè melior res,

Ut rectè Lucretius. Quæ igitur ho
tempore notandi figuræ, ordin
pango, & pungo. *Media distincti*
quæ *Commatis* est, dextrâ semicircu
parte, ceu virgulâ, separatur & cædi
tur: hoc modo, idq; interdum pos
singula verba, undante quasi lectio

ne

ne; interdum post conjuncta, quæ necessariò construuntur. *Subdistinctionem Colon* habet, & bifariam exprimitur, ut species ejus disparamus; *Majus*, & *Minus* Hoc virgulâ & puncto: sic; in Sejunctis, Oppositis, iisq; omnibus quæ Commatis & Colimedia, ut sic dicam, videantur. Istud, *Majus* inquam, gemino puncto: sic; in Similitudinibus: Partitionibus, tum locis assignandis, & quæ sive ratio, sive usus ad plenum membrum produxit. Senecam Tragicum sic interpunctum videas:

Vt alta ... tos semper excipiunt juga;
Rupe... e saxis vasta dirimentem freta;
Quamvis quieti verberant fluctus maris;
Imperia sic excelsa Fortuna objacent.

Exempla plura quorsùm accumulo? E Cicerone mistam Majoris Minorisq; do imaginem: *Est enim hæc, Judices, non scripta; sed nata lex: quam*

non didicimus, accepimus, legi
rùm ex naturâ ipsâ arripuimu
mus, expressimus: ad quam n
sed facti: non instituti; sed im
mus.

CAPUT VI.

De notâ Periodi. Ratio M
læ, & Minusculæ. N
quæ ab Antiquis Disti
à nobis aliter signari.

PEriodus punctum dant
bet, notam illam prisca
non è more penitùs prisco
enim ad caput litteræ, sumn
hodie sine ullo ejusmodi a
quem exiles serpentesq; cha
nostri excludunt. Nam si
neam deprimas punctum, a
las, volantibus apicibus
scetur & fugit. Romani ve
grandes illas & quadratas lit
ne apicibus formabant, diffe
triplicis puncti solo loco sive
prio vocabulo utar) *Positur*
modè faciebant. Nos verò

ter hodie Distinctionem istam figuramus; *cum Majusculâ*, & *sine eâ*. Reliquæ enim orationis partes Minusculâ ferè ducuntur. *Cum Majusculâ*; quando sententia penitùs perfecta est, nec sequentia prospicit; *sine eâ*; quando perfecta quidem, sed novum ex se sensum gignit, cui incumbat. atque hujusmodi Periodum, inter Colon & Periodum medium quendam locum obtinere dixerim; quem inter Comma & Colon, Minus Colon. Pro exemplo Sallustii verba sunto: *Omnes homines, qui sese student præstare cæteris animalibus, summâ ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora; quæ Natura prona, atq; ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo, & corpore sita est. animi imperio, corporis servitio magis utimur alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune est.* Perperam autem in hisce Mediâ distinctione utare; imò contra Antiquorum usum, qui manifestò Distinguebant. In hisce inquam: nonnul-

nonnulla enim excipio, atc
excepi; quæ à plenâ Distinc
Mediam usus traduxit. Itac
Diomedes præcipit, *Disting*
tem oportet ante Similitudin
παραβολὰς vocant; & ante ve
ditivas quas illi ἀνταποδόσεις; &
do à personâ ad personam tran
rit factus: id verò minimè D
mus; sed, quod subjicit: *& a*
TEM Conjunctionem, siquiden
abundanti ponitur; & ante
Vocativum; & ante SED,
QVONIAM, & ante T
cessante Redditiva, sed præpos
rioribus. quæ si cautio desit, et
ligatio plenè distinguendi.

CAPUT VII.

De Notis Interrogationis, E
sis, & Parenthesis: eas
novas esse.

POst Periodum an respiro &
sco? imò verò lorum cap
paratam hanc inscendo triga
terrogationis, Emphasis, Paren

ut pauxillulum hoc pulveris, quod reliqvum est emetiar, & curriculò transferar ad metam. Nova cura, novam molestiam dedit: parco dicere. Veteres enim Interrogationem Distinctione; reliquos Adfectus Mediâ distinctione soliti exprimere. Ait enim Diomedes, Distinguendum esse, & *ante Interrogativam, & post Interrogativam.* Idem de Media Distinctione: *Caussa hujus Distinctionis sunt: Primum, ne confundantur, quæ* δίκωλα *&* τρίκωλα *ponuntur: Deinde, ut actus verborum emineat & luceat, qui ex aliquo moveatur affectu, vel indignatione, vel miseratione collatâ, vel certè cum quâdam arctatione sermonis; quæ* ἐμφατικῶς *à Poëtis congeruntur.* Sed antiqua ampliùs non me tenent: nova, aut novata recipiunt, & ipsa (hic rerum cursus est) à Posteris antiquanda. Notare igitur *Interrogationem* puncto & flammulâ placuit, ad vehementiam sermonis indicandam: sic ? & nonnunquam ad singula pænè verba: non-

nunquam ad sententiæ dunt
nem. Prisci scriptores hoc
à nobis accipiunt. Horatius
Damnosa quid non imminu
Cicero: *Vobis non modò insp*
bus, sed etiam armatis, & huic
præsidentibus, hæc tanta virtus
urbe expelletur? exterminabit
cietur? *Emphasis* nota, sub q
clamandi, Admirandi, Optand
lesq; formulas comprehendo
ctum est, strictam lineolam, v
culeum sustinens, hoc modo!
pora! ô mores! *Parenthesis* fisso
vulso circulo includitur, & à r
orationis corpore separatur:
in Cicerone exemplum repræ
Utinam Dî immortales fecissent
tuâ Patria dixerim, metuo enim
leratè dicam in te, quod pro
piè) ut P. Clodius non modo vi
sed etiam Prætor, Consul, Dictato
antequam hoc spectaculum vide
Hæc Interpositio, si locum inte
Incisa occupat; Mediam disti
nem tollet. Si verò inter duo

bra, Subdiſtinctionem non tollet, ſed protollet ad ſemicirculum finalem: hîc enim & vocis mora poni, & Coli pronunciatio flecti debet; ut ſequentia, non tanquam à Parentheſi, ſed à Membro diſtinguantur. Si denique inter duas Periodos; ipſa, poſitis lunulis, Periodus fiet, Diſtinctionemque adſumet.





M. JOHANNES WEIT

EPISTOLA

DE PHIL LOGIA.

AD

Doctrinâ multiplici Politi mum Virum

DN. M. JOH. MICHAE DILHERRUM, P. L. cult mum, Amicum singu- larem.

OMne promissum cadere bitum: omnium ore jam est dicterium. Ut igitur, sceptâ erga te, suavissimè DI RE, singulari benevolentiâ, apud te liberem meam, &, qua dixi, operam præstem, speiq;, de PHILOLOGIA, quæ ut εὐνομία σμα καὶ ἄεθλα πάντ' ἀποφαίνει, fe

tibi, (omnia enim amici causâ facit, qui verè & constanter amat) satisfaciam, & exsolvam, quod debeo ex promisso. Tandem (seriùs licet, alio occupationum nexu impeditus; cùm diem citius sine nube, quàm horam sine impedimentis habeam) tibi me sisto, atque velut testudo φερέοικος è conchulà meà & domunculâ prorepo pedemq; protollo. Tu, sicubi fors citra scopum sagittæ cadant meæ, ad vivum non resecabis omnia, recordatus, οὐκ ἐν τῷ μέγα εἶναι τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα: quod suo Ismemias tibicen discipulo ingerebat. *In amicis*, inquit alicubi Hieronymus, *non res quæritur, sed voluntas; quia alterum ab inimicis sæpe præbetur, alterum sola caritas tribuit.* Nec omnium est, cum Mise Artaxerxi malum Punicum, &, amplius dicam? illud quidem vegrande, adferre ac porrigere. Aviculæ minutæ parvulos quoque construunt nidulos. Et quia liquidissimo illo Musarum nectare palatum tu quidem imbutum habes; procul

dubio feculentum hoc meum villu
repudiabit & faſtidiet. Sed, quia i
vis, fiat quod vis, nec, tuâ causâ, v
recundabor:

Hanc ſtellis nebulam ſpargere ca
didis

Φιλολόγ@ igitur, Phrynicho adnotai
te, eſt ὁ φιλῶν τοὺς λόγους, καὶ σπουδάζων π
παιδείαν: Philologus eſt is, qui am
literas, & eruditioni ſtudet. Que
ad locum ἐσθλὸς ἀνὴρ, μέγ' ἄριστ@ ἀνὴ
D. Hæſchelius φιλολόγον vertit ac rec
dit, litterarum ſtudioſum. Svetc
nius, ſcriptor candidiſsimus, in De i
luſtribus Grammaticis libello, *de A*
tejo, Atteji Capitonis JCti clariſsi
mi liberto, teſtatur, *apud Latinos Ph*
lologi nomen adſumſiſſe; quia ſicut Era
toſthenes, qui primus apud Græcos ho
cognomen ſibi vendicavit, multipli
variaq; doctrinâ cenſebatur. Ita à Pri
ſciano *Alphius* cognominatur *Philo*
logus. De Auguſto refert Svetonius
quòd *eruditione variâ repletus, Sphar*
contubernium inierit. Hoc eſt, docto
re Sphæro φιλολογίαν καὶ πολυμάθειαν ex

er-

ercuerit: uti ocellus eruditorum interpretatur Casaubonus. Quo loci subnectit; *appellare se Philologiam historiæ, & rerum antiquarum cognitionem literasque humaniores: quas qui tenent, eruditi propriè vocantur*, ut eloquentiæ anima docet M. Tullius. Eodem spectare illud Censorini videtur; qui sese libellum suum, *de die natali, non ex præceptis Philosophorum, nec ex Rhetorum artibus, sed ex Philologis Commentariis sumsisse* confirmat.

Quin & Martianus Capella suos hoc sensu itidem videtur libros inscripsisse: *De nuptiis Philologiæ*. Cicero, cujus parem eloquentiam nec superior ætas ulla suspicari potuit, nec posterior æmulari, eodem intendit digitum; quando ad Atticum ita verba facit: σπουδαῖον οὐδὲν *in sermone, philologa multa*. Ibi Svada Arpinas, quemadmodum vir illustris observat, τὸ φιλόλογον τῷ σπουδαίῳ opponit, ut omnijugam lectionem peritiæ negotiorum. Vult enim intelligi, in illo

majorem literarum, quàm politic
rum rerum peritiam. Itaq; Philos
phiam practicam nuncupat σπουδαί
φιλιστορίαν autem Philologiam. Alst
dius, argutus Philosophus, *Philol
giam*, inquit, *esse cognitionem lingua
rum.* Non malè; nisi animi fallo
cognitionem indigetat. probè! Qu
enim illum unquam Philologi augu
stô dignabitur titulo, qui ne tria qu
dem Stesichori novit, &, quod i
proverbio est, μηδὲ νεῖν μηδὲ γράμματ
add dicit? Quicunque nominis hu
jus dignitatem accupatur aut ambit
multâ sit præstantissimorũ lectione
instructus autorum; immensâ re
rum infinitarum notitiâ armatus sit
abditis atque retrusis arcanorum in
volucris communitus sit necesse est
& ingenti quodam flumine littera
rum inundatus. Omnia Musarum
arboreta perambulet oportet, tum
sacros illos & vetustate venerabile
lucos; ubi jugiter ebulliunt purissi
mi illi fontes, è quibus veteres qui
largiter hauserant, supremum propè
lau-

laudis & gloriæ culmen attigerunt. Laboriosos Grammaticorum canones calleat, & vocum originationes tanquam ungues suos teneat. Ingeniosas Poëtarum fabulas & figmenta mirè excogitata in numerato habeat. Veterum Philosophorum, à quibus prima præcepta sapientiæ & aurea reperta manarunt, arculas excutiat, & inde optima & lectissima quæque carpat. Unde Moschopulus τὸ φιλοσοφεῖν pro φιλολογεῖν usurpandum esse adserit. Sapientissimorum Theologorum ardua penetret: sollertissimorum abdita Medicorum & naturæ universæ venas altissimè reconditas pervestiget. In amplissimo Historiarum tum veterum tum recentium paradiso exquisitè versatus sit. Antiquitatem norit: Græcanicæ ac Latinæ litteraturæ linguæq; peritiâ polleat. Deniq; quicquid unquam eruditionis ab egregiis autoribus repertum ac traditum fuit; id universum absolutè perceptum cognitumq; habeat ac meminerit, qui

 Phi-

Philologi præ se ferre nomen
norabile voluerit. Vel, ut sti
sem Symmachi verbis exprim
*Quicquid in Poëtis lepidum, apu
ratores grave, in Annalibus fidele,
Grammaticos eruditum est, solus
reat, justus heres veterum literar*
Utq; ad hunc eruditionis apicem
felicius & facilius conscendat, a
exquisitam φιλολογίας cognitio
pertingat; per quosdam quasi
dus voluerunt φιλόλογοι eò pervad
*Grammatices tres esse partes const
runt: quarum primam* (Scaliger
ba sunt: at cujus viri? Nobilium
ctissimi; ac Doctorum nobiliss
τεχνικὴν *vocarunt, secundam* ἱστ
tertiam ἰδιωτικήν. Τεχνικὴν πραγμ
*vocant eam, quæ in elementorum
syntaxeos disciplinâ tota est.* Ἱστ
*eam quæ in mythologiis Poëtarum
Oratorum & Historiarum descript
bus, locis, montibus, fluminibus v
tur, & si quid simile.* Ἰδιωτικήν int
*volunt, quæ non illis finibus content
sed ulterius evagatur, & in abdi
sap*

sapientiæ penetralia se insinuat: cum scilicet spurios versus Poëtarum à veris & legitimis discernit; & depravata emendat, falsò attributa suis auctoribus adserit ac vindicat: omne genus Poëtarum, Oratorum, Philosophorum, recenset atq; excutit. Hanc partem propterea κολαπτικὴν vocarunt. Ut autem aliàs Labor aptissimum & accommodatissimum est instrumentum, quod ad omnem studiorum telam inchoandam atque pertexendam necessaria acquirimus: Ita & hic velut Ariadna quædam est, cujus ductu ad Philologiæ amœnitatem, quis commodè pervenire potest. *Te id, quod multi invideant multiq; expetant, inscitia sit postulare, si laborem cum summâ curâ offeras nullum*: ut scripsit Accius. Quemadmodum in Ægypto nullas terra fruges progignit, nisi stagnante Nilô benè irrigata: sic pectoris (ita loqui liceat) ager nec concipere nec edere partum potest, nisi vel opportunis imbribus vel deductis aquarum rivulis, statis diebus aut no-

noctibus irrigetur. Labor aurea il
catena est, de quâ suspensa Juno,
est, Numen divitiarum & Felicit
ad mortales demittitur. Intra cert
tamen cancellos & quasi vacerra
Labor ille in Philologiæ inquisitio
impendendus sese continet, suisqu
limitibus terminatur & tanquam g
rô circumscribitur. Vel enim *in L*
gendo positus est, vel *Colligendo* d
fixus. Legat & pervolutet omne sc
ptorum genus oportet Philolog
Candidatus, & ad intimos autoru
sensus atque adeò Vestales eoru
focos se penetret, ut *apis Matina m*
re modoq; conferat & stipet doctrin
liquentia mella: &, quod in explen
do amicitiæ munere à sapientib
præcipitur, apud illos plurimum sa
delingat, ut eosdem sibi familiar
efficiat. Quinimò existat *alter Pap*
rii Pati frater Servius; qui propositis
ne Poëtæ nomine versiculis, statim pr
nunciabat, Hic versus non est Plau
hic Plauti est: quòd tritas haberet a
res notandis generibus Poëtarum. A

sit & *Collectio*; id est, ut stilum capiat & excerpat, ac velut annonam in horrea quædam reponat. De Plinio suo, maximo arcanorum naturæ mistâ, scribit & jactat alter Plinius, *quoties librum legerit, adnotasse ipsum excerpsisseque. Nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere enim solebat, Nullum esse librum tam malum, ut non aliquâ parte prodesset.* Excerpta itaque Memorialibus libellis, tanquam ærario, ingerantur, & tutò deponantur; unde rerum verborumq; illæ opes per tempus & ad usum promi queant. Quapropter tradendum libris est, quicquid legitur. In quo sanè labor aliquis, & in legendo remora: sed labor & remora utilis, si quidquam in omni ratione studiorum. Libros istos, in quibus coacervantur preciosissimi Philologiæ thesauri, qui auro contrà cari, Locos Communes vulgatâ indigitare appellatione moris est. Illi verò sunt tituli generales verborum & rerum maximè memorabilium, ita dispositi, ut sub iis, quicquid

quid sive in lectione bonoru
rum, sive ex auscultatione do
virorum occurrit, memori
servatione dignum, consign
sit, ad eloquentiam & solida
entiam consequendam. A
imitatione Xenophontis ἀπο
μνημ..., Plinius Commentarios
alii Semestria, Adversaria, R
tidianas, Polyantheas, Flo
Polymnemonas; alii aliis insi
titulis & vocabulis. Nuncu
autem Loci; quia sunt instar
larum, quæ ostendunt, quid q
loco sit repositum. Commun
gnominantur; cum quia or
communiter sunt necessarii
quia continent titulos comm
ad quos omnia queunt referr
apud alios occurrunt. De eoru
necessitate summâ & utilitate
mâ videatur consilium incon
bilis Erasmi, in aureolo *De*
libello: legatur Rod. Agri
quô nihil unquam Cisalpinus
produxit omnibus literariis d

abſolutius, in Epiſtola *De ſtudio formando*; ut G. Trapezuntium, L. Vivem, viros undequaque doctos & admirandos, ſilentii tegam ſipariô; & ſi qui plures hanc aream triverunt, hanc incudem tutuderunt, ſuoque ſtudiô & induſtriâ facem Juventuti hac in viâ & nocte prælucere voluerunt. Quæ Juventus hoc pronunciatum Midæ gazis & Crœſi divitiis nobilius & utilius benè penitus imbibat, *& ſenſibus hoc imis, res non eſt parva, reponat: Nunquam ille magnus erit, niſi qui Locorum ſibi Communium copioſam ſupellectilem comparaverit.* Et *veriſſimum omninò eſt*, inquit vir doctus, *qui lectu vel auditu gaudet, atq; adſueſcit quocunque modo in chartas referre; fieri non poteſt, quin præ cæteris tardis & ocioſis vehementer proficiat.*

Porrò *cognitio linguarum eſt* Philologia. Utrum verò quotquot in terræ hac pilâ & ſub hoc cœli ſunt fornice, omnium? Septuaginta autem duas eſſe volunt nonnulli, quidam-

dam plures, aliqui pauciores. At
ti quî hoc poteſt? cùm ob vitæ b
vitatem ſtudiorum pomœria
contrahenda: & omnes poſſe
diſcere, ἐκ τῶν ἀδυνάτων ἐστὶ, ac, Pin
verbis, οὐκ ἐπ' ἀνδράσι κεῖται. Ita
eximias ſaltem illas excoli debe
quas *Cardinales* vocant, apprimè
vitâ eſt utile: quas nempe Cru
Salvatoris noſtri unici nobilitatas
ſe novimus, de quibus Prudent
noſter, luculentiſsimus Chris
vates:

Hebræus pangit ſtilus, Attica c
pangit,
Pangit & Auſoniæ facundia ter
linguæ.

Si quis addere exoticarum quart
dam voluerit ac valuerit notitiam

ἴστω λαχὼν πρὸς δαιμόνων.
θαυμαστὸν ὄλβον.
καὶ οὐκ ἔτ' ἐστὶ πόρσω.

In literarum hodie luce micanti
mi, cùm inſigni turpitudinis not
ſpiſsiſsimæ ignorantiæ imperitiæ
maculâ conjunctum eſt, non Gra

vel leviter tinctum esse literaturæ scientiâ, ne dicam penitus imbutum: cùm, absque hujus præsidiis & copiis sit, sæpenumerò gradum sistere, ut viatores objectu fluminum aut incilium solent, & hærere necesse habeamus; imò velut in brevia quædam & scopulos unumquemque impingi contingat, si non ad Helicen & Cynosuram, id est, Græcæ lingvæ cognitionem & peritiam animum atque oculos convertat. Quid verbis opus? Omnis doctrina, sine subsidio Græcarum literarum, fluctuat; sicuti qui uno pede gradi postulant, & unâ manu vitæ obire munia: ita qui Græcam & Latinam linguas, tanquam sorores, separant; & scribere aut loqui Latinè se cum laude putant, sine subsidio ullo Grajo. Hebræa inter cæteras excellere vulgò videtur & eminere, privilegio quodam antiquitatis & sacrorum: & parùm multum hanc diffundi, præterque paucos Rabbinorum & Thalmudistarum, angustis sacrorum librorum finibus con-

conclúsam, his modò, qui sacra di
gentiús enucleare voluerint, utile
& fructuosam esse constat. *Nec*
mnes capaces sumus omnium: & co
silio nonnulla praterimus, qua nostro i
stituto minus serviant, aut etiam id
psum nimium retardant; ut scriptu
alicubi reliquit *doctissimus Caseli*
Hanc itaque linguam surdo velut p
lato ἀνάλγητοι καὶ ἄμετροι fastidiun
aut illius suavitatem non sentiun
Sed quorsúm exerro longiùs? cù
ex his, ut insertis in fenestram So
radiis totum illustratur conclav
clarissimè elucescat, quantis & quà
verè variis instructum esse illum
porteat doctrinarum subsidiis & i
strumentis, qui nobilissimo Phil
logi florere ac vernare nomine,
ἰσοφόρος θαυτὴς ὡς, ἀστὴρ ἐν ἄλλοι
coruscare, insignemque suo inde c
piti coronam decerpere, tanquam
Alcinoi pometo aut Midæ roseto,
animo habeat Philologi scilicet
linguarum periti Academiarum l
mina sunt; Scholarum Atlantes; E
cl

clesiæ columina; Curiarum oculi; amœnitatem quidam quasi Genii; elegantiarum architecti (μουσουργῶν ἐργάται ἀγλαϊῶν) varietatis arbitri; doctrinarum Arcæ, imò arces sunt; antiquitatis promi-condi; Latinitatis priscæ vindices, suadæq; oracula sunt PHILOLOGI. Quid multa? Orbis universi terrarum velut stellæ sunt, quaquaversum radios lucidissimos evibrantes,

----Quà Sol habitabiles
Illustrat oras.

Philologi sunt, qui Musas cum Gratiis suavissimâ συζυγίᾳ copulant; nec tam repente nascuntur, veluti fungi solent, quos levi imbre tellus provocata fundit. Philologi sunt,

---- Meritò quîs doctior orbis
Submissis defert fascibus imperium.

Quis ergo mentis tam sit improbæ aut invidiæ veneno suffusæ, qui non amet, non veneretur, non in ocnlis ferat Philologos? qui scripta Philologorum, in quibus medulla omnis rerum exquisitissimarum continetur,


nn;non exosculetur, non or
dibus,& in cœlum non ferat
ut & hoc mantissæ vicem ad
Neander ἀθανάτ☉ talismod
cillo depinxit ; *Scripta Phi
sunt in quibus est mira atque ju
rara atq; erudita varietas vet
ctrinæ, sapientiæ atque eloquent
terum sapientum Philosophorum
torum , Poëtarum , Historicor
omnium deniq; illorum autorum
doctrina & sapientia nomine oli
fuerunt; contexta ferè, descripta
scripta de libris & testimoniis au
non vulgarium , sed lectissimor
optimorum, ac qui ferè temporu
quitate variâ jam olim perierun
etiamsi aliquid de illis superest,
nus tamen vel in Bibliothecis ma
ptis adhuc latet, ut à paucissimis
tur, & multò paucioribus legatur
ut libri Philologorum talium no
sint, sed Bibliotheca locum exhib
omnis doctrinæ veteris eruditæ
pientis, cum singulari quadam
cundâ varietatis vicissitudine i*

Eli

tissima. Nunc abrumpo tandem. Epistolę enim leges nimium-quantum forrasse lacinioso verborum ambitu migravi, si non violavi. Et sic strictim habes, eruditissime DILHERRE, meam de PHILOLOGIA sententiam: cui lectorem opto, non supercilii censorii nec patruum sapientis; nec qui veruto aut obelo cuncta confodiet. Libenter in partem pro meâ virili literas juvare studeo; an verò utile, vel irritum sit studium, malo alios existimare, quàm meo me prædamnare suffragio. Quanquam conatum meum meliorem, quàm operam puto: cum voluntas libenter nitatur ad præclara, quæ præstare non potest industria.

Vale, mi jucundissime; atque sacer Amoris ignis, quo flagramus, ut Vestali religione æternus sit, voveo: erit autem, si pari voluntate & studio alienus. Quod de te spero, de me tibi polliceor, & adfectum bonâ fide obsigno: bonum in te, atque adeò æternum fore. Æternum enim

id omne, quod bonum eſt; &
ternus, ſi bonus, imò quia b
Iterum vale, meum decus &
cium! Gothæ pridie Cal. Ap
anno clↄ Iↄ c xxxi.



M. JOHANN
MICHAELIS Diſ
ORATIO AUSPI-
CALIS.

FInem ergò faciat ſilentii c
ni, quo ſuperiori tempor
ſus, dies hodiernus; Voſque,
Conſcripti! in publicum me
catis, qui in ſecreto hactenus,
parietes poſteſque delitui.
enim veſtra manſvetudo, tan
tata benevolentia, tam incred
penè divina beneficentia, que
alliciat, ut, etſi deſertiſsimæ ad
ſcopulos ſolitudini adſuetus
lem & pulverem procedat, &
primis conſuetudini, longis
rum intervallis receptæ, ob

ret? Ita enim, more majorum, comparatum eſt, ita veteri ego exemplo, atq; inſtituto optimorum quorumcunq; admoneor, ut, ſub muneris hujus profeſſorii auſpicium, dilucido vos ſermone compellem. Cùm autem diu multumq; , conſiliis mecum agitatis, deliberarem, quid auribus veſtris, tàm eruditis, dignum proferrem: multa ſeſe mihi obtulêre, quæ intacta nullo modo præteriri volebant. Occurrebat Oratorii dignitas, quæ tanta eſt, ut nulla dicendi aut ſcribendi vi, nulla copia, non dicam exornari, ſed ne ſatis enarrari quidem poſsit. At jam ſæpiùs ſuum, merci huic, pretium eſt dictum.

Ingerebat ſeſe mihi ſanctiſsimorum Eccleſiæ antiſtitum eloquentia, ad ſummam facundiæ gloriam aſſurgens. Tam enim eorum, quæ ante nos acta fuère, ignarum arbitror neminem, ut, conſtantiſsimæ par amicitiæ, Gregorium & Baſilium, fando non acceperit, Juliani, profligatiſsimæ impietatis tyranni impetus, di-

cendi facultate fregisse. Sed cu
dictus Hylas? Obversabat a
ornatè, copiosè & ad rem ac
modatè dicendi, difficultas, cu
modo mederi valeamus, poter
plicari: sed & hoc saxum vo
alii, & meis quidem viribus
fortiores. Quamobrem de re
tavi alia, quam non onerosa vo
ratione proponerem. Cumq;
ad mens quidem mea potest re
re spatium præteriti tempor
meæ in amplissimo hoc liter
emporio præsentiæ memoria
cordari ultimam, de PHILOL
ex hac cathedra auditum nihil f
paucula quædam, pro ingeni
modulo, de ipsa dicere, oper
autumavi. Argumentum equ
haud desultoria dignum indu
nec medioeri, uti mea, celebrar
eloquentia: attamen, si præs
vos intueor, si mentem sensusq
pendo, si ora cerno: novo quo
robore erigor, ut, quam humer
bitraret majorem, constitutam

adversariam sustineri à me posse confidam. Facite, Magnifice Dn. Rector, Generose & Nobilissime Dn. Capitanee, Excellentissimi Domini Professores, Patroni ac Præceptores, summo à me in honore & pretio habendi, tuque virtutibus egregiis florentissima Auditorum cæterorum corona, facite, ô Mei, ne antiquæ vestræ faventiæ, spe jam atque animo frustra incubuerim. Si non dicendi svavitate, saltem brevitate ut placeam, annitar.

Ut montium altitudo procul non apparet; & sæpè leviter assurgens videtur collis, qui, si accesseris, Olympus: ita Philologia etiam, nisi pernotimus, nebulæ in pariete, apinæ tricæq;, & si quid vilius istis. Hinc passim in triviis ac impuratis fornicibus, quin & quibusdam, sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine literis literatorum, latariis, Philologi, annosi audiunt alphabetarii, qui subtilia quidem considerant, & dulcia lambant folia, fru-

Cum verò nullum percipiant: ci
voces consenescant, ultra natu
terminos, ad canitiem usque, ætat
studiis puerilib. producant, mem
riam fatigent, judicium negligant,
inter amplam verborum supellec
lem, in maxima rerum inopia versa
tur; hydropicis non absimiles, c
tumore aqueo, pinguedinem me
tiuntur.

Verùm enim verò parciùs ista vi
erant objicienda. Ad veteres eni
illos, qui doctrina & quadam iner
dibili varietate rerū abundabant,
omnibusq; iis artibus, quæ libero su
dignæ, erant perpoliti, si nos cont
lerimus; haud paullò melius de Ph
lologia sentiemus. Quanquam eni
quædam inter eos, hoc in genere, d
screpantia: omnes tamen ea re
runt, quæ in mirabilem bonoru
benevolentiam ipsi concilient.
aprico certè est Philologiam un
versa in suo luco & fano possider
quibus insatiabilis inhiat φιλομαθ
aviditas; & ex Photio constat, Phil

l

logicam & πολυμαθίαν pro uno eodemq; usurpari. Nullis autem limitibus φιλομαθία, nullis πολυμαθία, circumscribitur, nullis terminis coërcetur, nullis carceribus concluditur: sed, quemadmodum qui dipsade sunt percussi, siti inexplebili, dum è vita abeant, infestantur: ita hæc quoque nostra subinde vehementiori scientiæ ardore inflammatur, nec conquiescere unquam potest, dum, ultima rerum linea, mors, pausam faciat. Unde ὀφθαλμὼς ἱερὼς Plutarchus, mortalium sapientissimos, inter Philologos numerare nihil dubitat, quando Agathonis scribit convivium plures habuisse φιλολόγους, Socrates, Phædros, Pausanias: & quando Lucullum commendat, quòd præter suas ipsius ingenii amœnitates, insignem literarum veterum, & rationum in literis peritiam, oppidò quàm libens, cum doctis quibusvis fuerit unà, συνεχλάσαι scribit τοῖς φιλολόγοις, conversatum cum Philologis: quorum nomine omnes vult erudi-

tos intellectos. Dubium ho
videatur, nisi omnium bona
tium & humanitatis peritum
ti fratris Ciceronis libertum
tis causa maximi, sciremus I
gum fuisse appellatum. Co
verat Telephus Grammaticu
ex suida habemus, libros ποικί
μαθίας aliquam multos: qua
ptione, judicio doctissimoru
innuitur aliud, quàm volum
lologicum, quod multiplice
tum & omnigena eruditione
rosorum possit helluonum
tati respondere.

Accedite ergò, Auditores,
osculamini Philologiam, qu
piùs à Deo abest, quam ulla d
narum alia, αὐτάρκης quippe, n
indiga alienæ. Quemadm
enim, ut cum Patrum Latinor
gustissimo Augustino loquar:
lus una est civitas, ex multis m
unus fit exercitus: ita ex discip
mnibus, conjunctim unam fier
tiam, eruditionem, existimaban

ditionem dico: quod nominis pēculiariter olim Philologiæ tribuebatur. Nubem testimoniorum concirem, nisi vestras curare occupationes deceret. Uni tamen atque item alteri patientem accommodare aurem, non pigrabimini. Cicero de Epicuro: Vellem equidem, ait, Epicurus fuisset doctrinis instructior: est enim, (quod tibi ita videri necesse est) non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur. Pati cum Ethnico sententia concinit Hipponensis ille Episcopus: quibus, inquiens, si quis non cesserit, & omnia, quę per tot disciplinas latè varieque diffusa sunt, ad unum quoddam, simplex, verum certumque redegerit, eruditi nomine dignissimus. Quin & Grammaticam deprehendimus & literaturam vocatam, non eam, quæ pupulis soleæ & anguillis Orbilii obnoxiis, prima suppeditet elementa, sed longè nobiliorem, quæ *omnia, quæ γράμμασι vel literis sunt mandata, comprehendat*, ut ex laudato

antea Patre apparet. Ita aute
Grammatica, quia ipso nomine p
se literas clamat, unde etiam La
teratura dicitur, factum est, u
quid literis memoria dignum m
retur, ad eam necessario pertiner
que unum quidem nomen, sed r
nita, multiplex, curarum plenior,
jucunditatis. Non nesciit hoc
sequiori Saxo, illustris ac æta
facundissimus Danorum Histo
vir rerum ferè gnarus innume
lium: qui Saxo Grammaticus
nari gaudebat.

En l. ἐγκυκλον παιδείαν ut Tzez
ba habent, & omnium scienti
orbem ac complexum Philolo
cui fasces ac sceptra submitta
natio doctorum: cùm penes i
omnis docendi & interpretan
& potestas. Non legisse forsan
tas satis est: excutiendum statuit
tertimus juventutis formator
bius, omne scriptorum genus,
propter historias modò, sed v
etiam, quæ frequenter jus ab an

bus ſumunt. Tam nec citra Muſicen poteſt eſſe perfecta, cùm ei de metris rythmisq; dicendum ſit. Nec, ſi rationem ſiderum ignoret, Poëtas intelligat, qui (ut alia mittam) toties ortu occaſuque ſignorum, in declarandis autoribus utuntur. Nec ignara Philoſophiæ, cùm propter plurimos, in omnibus ferè carminibus, locos, ex intima quæſtionum naturalium ſubtilitate repetitos: tum vel propter Empedoclem in Græcis, Varronem in Latinis: qui præcepta ſapientiæ verſib. tradiderunt. Eloquentia quoq; non mediocri eſt opus, ut de unaquaque earum, quas demonſtravimus, rerum, dicat propriè & copiosè. Novit Philologus, ut Symmachus habet, Pythagoram, qui animas in æternitatem primas aſſeruit; novit Platonem, qui Deos eſſe perſvaſit; novit Ariſtotelem, qui naturam benè loquendi in artem redegit; novit pauperem Curium, ſed divitibus imperantem; novit ſeveros Catones, gentem Fa-

 biam,

biam, decora Scipionum, totun
illum triumphalem Senatum. P
trat in medium Hippocratis, Ga
Celſi & Paracelſi agmen; inda
quid elementa, temperamenta
mores, partes corporis, facultate
ctiones, ſpiritus: quid aër; cib
potus, ſomnus & vigilia, mot
quies, evacuatio, affectus; quæ ca
morborum, quid morbus ipſe,
ſymptomata, quæ eorum reme
Perrumpit adyta Bartoli & B
reperta indagat Cujacii & Pacii
verhardi & Ræuardi, veſtigat q
quid Maſuri rubrica notavit: ju
volvit Romanum, civile, inſtit
digeſta, codicem, conſuetudines
dales, & quicquid aliud pruder
æquitatis arbitri invenerunt, quo
vium diſsidentium lites conten
nesq; ſopirent. Evolvit idem libi
vitæ ſignatum, ſanctiſsimos ſocia
bi Eccleſiæ promachos, Tertul
num, Cyprianum, Gregorium, H
ronymum, Auguſtinum, & plu
longo ordine Patres: ut haud di

ne

neres Philologiæ amasii, non jactantes, sed vera narrantes, cum Barthio, stupendo ingenii monstro, possint gloriari: neminem in omni antiquitate Poëtam, Rhetorem, Philosophum, Historicum, Jurisconsultum, Theologum, Medicum, imò vix unum & alterum Scriptorem, quem non legerint, & cujus lectione, pro re incidente, uti non possint. Videmini, Auditores, trahere in prodigium, literis sese dedere omnibus! at veteribus familiare. Audite, si commodo fieri vestro potest, non hominem de furno & lacu redeuntem, sed virum juris scientissimum, Besoldum: si quid, inquit ille, apud priscos virtutis & sapientiæ magistros, unquam ratum firmumq; fuit, ejusmodi vel maximè mihi videtur; quod artium omnium commune quoddam vinculum existimaverunt, quo inter se jugatæ nexæq; mutuis auxiliis unam constituant disciplinam. Omnes virtutes uno vinculo copulari, nemo negare potest: eæq; tàm

arctè inter se implicatæ sunt, ut St
ci eò se induci fuerint passi: ne
nem unam virtutem possidere, q
possideat simul omnes. Omne
mutuò subsequi, & qui unam hab
omnes ut habeat, necesse esse; ta
quam se invicem rectè insequent
& velut uno fune revinctas. Sin
planè complexu, disciplinas conf
ctas esse, veteres reputaverunt;
quisquis illarum vel unam ignora
rit, hunc nullam verè didicisse. Et
ex sententia eorundem Stoicoru
alicubi Cicero scribit: eum, qui
mnes animo virtutes comprehend
set, omnia, quæ facere vellet, fac
mè tractare; neque illum nece
habere, in una scientia vel arte, qu
tabernaculum vitæ suæ colloca
Proinde doctrinæ constituerunt
bem antiqui, velut perfectum que
dam scientiæ cinnum, ex diversis
ptum & temperatum, quem ij
ἐγκυκλοπαιδείαν vocarunt, & ipsas, qu
contineret disciplinas, ἐγκύκλια μα
θήματα.

R

Regerant mihi quidam, ita in nos competere verbum: in omnib. aliquid, in toto nihil: quibus ejusdem ego Besoldi ore respondebo: qui non est in omnib. aliquid, in singulis nihil: quod disciplina fit una, si loqui ita fas est, copulativa. Desideratis exemplum? est in proclivi. Considerate Photium, cujus fidelis præco Daniel Heinsius. At qui vir? seculo omniq; laude major. Hic de Photio tradit, quòd de omnibus, inprimis autem summis maximisque auctoribus, Philosophis, Historicis, Poëtis, Oratoribus, sed maximè Theologis, ita candidè ac exquisitè judicet, ut unus eruditione varia, cum omnibus, quos legeret, legendi diligentia, cum maximis, qui antè extiterant, commissus, atque universus literarum orbis circulusque in hominem unum diffusus videatur. Qui nihil in re Grammatica Rhetoribus, nihil in dicendi arte Philosophis, nihil in utraq; Poëtis, nihil in moribus, scientiis ac artibus, Theologis ignoscat: opi-

opiniones autem parùm integras ac ſanas, ut Theologus proſcribat. Quid multis? poſſem ex ipſo hoc conſeſſu ſplendidiſsimo appellare, qui & Philoſophiam, & Medicinam, & Jurisprudentiam, & Theologiam, non defunctoriè intelligant: quos coràm in os laudare vereor, ne id aſſentandi magis, quàm vera dicendi, facere exiſtimer.

Percepiſtis, Auditores, ſententiam illorum, qui omnium voluere ſcientiarum in Philologo concurſum, quaſi in centro linearum: jam nunc producam alios, qui ex latiſsimo illo campo Philologum abducunt, & certis ſeptis includunt.

Prodeat ergò Romanus ſapiens, & ſua nos doctrina dimittat doctiores. Cum Ciceronis, ait, libros de Rep. prehendit Philoſophus, miratur contra juſtitiam dici tam multa potuiſſe: cum Philologus ad hanc lectionem acceſsit, hoc ſubnotat, duos Romanos reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem.

trem. Præterea notat, eum quem nos dictatorem dicimus, & in historiis ita nominari legimus, apud antiqnos magistrum populi vocatum: Romulum periisse solis defectione: provocationem ad populum etiam à regibus fuisse. Eosdem libros cum Grammaticus explicuit: primum reapse dici à Cicerone, pro re ipsa, in commentarium refert; nec minus sepse, id est, se ipse. Deinde transit ad ea, quæ consuetudo seculi mutavit, tanquam, quod ait Cicero: quoniam sumus ab ipsa calce, ejus interpellatione revocati. Hanc, quam nunc in circo metam vocamus, antiqui calcem dicebant. Desumsit hanc inter φιλόλογον & λογόφιλον distinctionem Seneca, ut notat Philologus clarissimus Joh. à Wolver, ex Zenone, & Philologo tribuit historiam, Logophilo sermonem, Grammatico, verborum captationem, translationes figurasq; dicendi. Idem assignant Philologo officium Ausonius & Servius: Plutarchus verò, ea quoque,

quæ

quæ Logophili ſunt & Grammatici, Philologo tranſcribit: μὴ δεῖ τὸν φιλόλογον ἐκφεύγειν τὰ καθαρῶς πεφρασμένα καὶ ῥητορικῶς, non decet Philologum, ea quæ purè ſunt, eleganter & ornatè dicta, ignorare. A quo ferè omnes hodieq; faciunt bonæ monetæ ſcriptores, qui & patrum noſtrorum, & noſtrum hoc çvum monumentis ſuis illuſtrarunt. Clarè clariſsimus & æterna memoria digniſsimus Iſaacus Caſaubonus: appello Philologiam, hiſtoriæ & rerum antiquarum cognitionem, literasque humaniores. Innuit idem immortale hujus Academię ornamentum Justus Lipsius, cujus quod in hac ipſa cathedra legam veſtigia, non in minima felicitatis meæ parte repono, qui ad Everhardum Pollionem ſuum, antiquitatum & linguarum peritia jam probè ſubactum ita: ad virtutem ante omnia te hortamur, cui literas iſtas ſervire volumus, magnum vel in paranda ea adjumentum, vel parata ornamentum. Non enim ſolùm pulchrior

chrior comptiorque per doctrinam virtus, sed fortior: nec colorem modò ab illa ducet, sed sanguinem & robur. Egregiè noster Seneca: etsi magis refert nostrâ, fortiores fieri, quam doctiores: tamen alterum sine altero non fit. Non enim aliunde animo venit robur, quàm à bonis artibus, quàm à contemplatione naturæ. Quod ita verum scito, si doctrinam non hanc mollem & amœnam solùmq́ intelliges, quam φιλολογίαν haud malè appellamus; sed virilem illam magis & robustam, quæ in natura aut animo occupatur, quamq́; Philosophiam propriè indigetamus.

Silentii autem si pario obtegere noto, multos, proprium veluti peculium, Philologo dicare linguas: in qua hæresi est Perottus Sypontinus; quem sequitur Matthias Martinius, Alstedius, quibus Philologia est cognitio linguarum. Non male, subjicit Weitzius, nisi animi fallor, cognitionem linguarum indigetat. probe! Adstipulatur magnus collapsæ litera-

tùræ

quæ Logophili ſunt & Grammatici, Philologo tranſcribit : μὴ δεῖ τὸν φιλόλογον ἐκφεύγειν τὰ καθαρῶς πεφρασμένα καὶ ἀστεικῶς, non decet Philologum, ea quæ purè ſunt, eleganter & ornatè dicta, ignorare. A quo ferè omnes hodieq; faciunt bonæ monetæ ſcriptores, qui & patrum noſtrorum, & noſtrum hoc ęvum monumentis ſuis illuſtrarunt. Clarè clariſsimus & æterna memoria digniſsimus Iſaacus Caſaubonus: appello Philologiam, hiſtoriæ & rerum antiquarum cognitionem, literasque humaniores. Innuit idem immortale hujus Academię ornamentum JUSTUS LIPSIUS, cujus quod in hac ipſa cathedra legam veſtigia, non in minima felicitatis meæ parte repono, qui ad Everhardum Pollionem ſuum, antiquitatum & linguarum peritia jam probè ſubactum ita : ad virtutem ante omnia te hortamur, cui literas iſtas ſervire volumus, magnum vel in paranda ea adjumentum, vel parata ornamentum. Non enim ſolùm pulchrior

ctrior comptiorque per doctrinam virtus, sed fortior: nec colorem modò ab illa ducet, sed sanguinem & robur. Egregiè noster Seneca; etsi magis refert nostrâ, fortiores fieri, quam doctiores: tamen alterum sine altero non fit. Non enim aliunde animo venit robur, quàm à bonis artibus, quàm à contemplatione naturæ. Quod ita verum scito, si doctrinam non hanc mollem & amœnam solùm intelliges, quam φιλολογίαν haud malè appellamus; sed virilem illam magis & robustam, quæ in natura aut animo occupatur, quamq; Philosophiam propriè indigetamus.

Silentii autem si pario obtegere noto, multos, proprium veluti peculium, Philologo dicare linguas: in qua hæresi est Perottus Sypontinus; quem sequitur Matthias Martinius, Alstedius, quibus Philologia est cognitio linguarum. Non male, subjicit Weitzius, nisi animi fallor, cognitionem linguarum indigetat. probe! Adstipulatur magnus collapsæ litera-

túræ

turæ instaurator Sixtinus Amama, verbis notatu non indignis; error generalis est, linguarum istarum, quibus sacræ literæ originaliter exaratæ sunt, videlicet Ebrææ & Græcæ, totiusque adeò politioris literaturæ, quam Philologiæ nomine complectuntur, studia hodiè esse supervacanea. Intelligit, ut toto opere conspicitur, linguas; non quidem omnes, quas addiscere est ἐκ τῶν ἀδυνάτων, sed potiores, cumprimis

quæ necis innocuam debebant prodere causam,

verum signabant officiumq́; DEI.

& earum filias, Syram, Chaldæam, Arabicam.

Quoad Theologum res certa est; cum vernaculum Theologiæ principium sit scriptura, ipsum ex hoc principio intrepidè argumentari non posse, nisi in suis fontibus, hoc est, Hebræa & Græca lingua, quibus scriptores ἀναμαρτήτους Spiritus Sanctus uti voluit, intelligat. Taceo Chaldaicum, quæ fax est veteris, Syria-

riacam, quæ sol est novi testamenti, Arabicam, quæ ejusdem non infrugiferum est adminiculum. Hæc omnia si luculentissimis adstruere exemplis liberet; si ante lucem narrationis iter ire occiperem, concubium esset noctis, ut Comicus loquitur, priusquam ad finem pervenirem. Non senio vobis ero, si proferam unicum. Minùs piè non ignobiles quidam nostri seculi Philosophi & Theologi, miraculosum sangvinis & aquæ ex vulnere Salvatoris nostri jam de mortui effluxum, planè naturalem fuisse scripserunt, statuentes in sinistro latere factum illum fuisse, ob capsulam cordis transfossam. Quib. ex paraphrasi Arabicâ egregiè possumus occurrere. Petrus enim Kirstenius, ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, & Ludov. de Dieu. in γλωττακαταβλικογνωσίᾳ versatissimus, ostendunt, latus dextrum lancea fuisse apertum, attestantib. omnibus & typo & calamo exaratis Arabum versionibus. Minutum hoc videtur, tamen ἀξιομνημό-

νευτον

σωτω. Hujus generis afferrem plurima, cùm non mihi nullum sit cum sanctissima disciplinarum Theologia commercium: sed hora mihi aurem vellit. Lingua Græca quid conferat Jurisconsultis, lepidissimis emendationum & opinionum libris aperuit Antonius Augustinus. Quandoquidem enim lingua Romana inops, Græcorum illa verborum copia carebat; à nutrice & altrice sua, & verba permulta, & dicendi quædam genera mutuò accepit. Agnoscitis, Studiosi humanissimi, verba Codicis vestri Justinianei: nihil tam studiosum in omnibus rebus invenitur, quam legum auctoritas. Quid verò per studiosum hîc intelligemus? hærebimus veluti in pice mures, nisi cum Haloandro & Politiano ad Græcum respexerimus σπουδαῖον, hoc est, studio, cura ac amore dignum; quod Latino illo exprimitur. Arabica quid Medicis, quotidiano agnoscunt experimento, dum Latinum suum Avicennam legentes, sæpissimè carbo-

nes

nes pro thesauris inveniunt. considerata vox illustris Scaligeri: verus Medicus potiùs lingua Latina carere potest, quàm vel Græca vel Arabica. Attendite paulisper Amato Lusitano, Medico præstantissimo: Avicennæ, ait, interpres, in curatione morsus viperæ, ineptissimè loco alliorum, somnum, non sine vitæ hominum periculo, interpretatus est. Sed ille, ut rem declaremus, nominum vicinitate deceptus fuit, cùm Arabibus tsumun allia significet, numun verò, somnum. Vice igitur tsumun, id est, alliorum, numun, somnum vertit. Proinde qui Avicennam, virum mea sententia doctissimum, & cui potest Galenum, secundas dare debebamus, legerint; illius verba perpendant, ac magna animi advertentia examinent, opus habent: cùm multis & variis illius Canon scateat erroribus: qui mea sententia non Avicennæ, sed interpreti potius tribuendi sunt. Perspectivè jam, Auditores, Philologiam cognovistis, tùm vete-

rem

remillam & recentiorem ; tùm utilitatem ipſius ingentem : ſubnectendum erat, ecqua via ad ejus arcem graſſari valeamus: ſed ne Olympiam me porticum appelletis, quæ vocem, ſemel acceptam, reddit ſepties; aut ſupra clepſydram, ut olim loquebantur, veſtra ego morer dicendo negotia, domi foriſque graviſsima: propterea verbo me expedio, additurus plura al.às, & cum oraculo moneo: συγχρωτίζεσθε νεκροῖς. atque à Philologia, me ad illam antiquiſsimam & rerum omnium principem naturam, effectorem mundi molitoremq; Deum converto, gratiaſque ipſi ac laudes ago; quod utroque jam olim parente orbatum, luctuoſiſsimis recularum paternarum reliquiis ſpoliatum, in tanta malorum iliade non deſeruerit, ſed vel tandem miſerum reſpexerit, &, cum ſeriò terram, alio ſub ſole jacentem, meditarer, nec opinantem quidem retraxerit, ad functionem honorificam, & merito meo atque ex exigua ingenii ſupellectile

ctile longè superiorem vocarit: ut reapse intelligam, multa hominem proponere, Deum aliter disponere. O Deus, salus animæ meæ quid retribuam tibi, pro omnibus beneficiis tuis, quib. pascis me à juventute mea usque in senectam? quid rependam tibi, quod gratia & misericordia tua semper me prævenerint? fac Domine, ut dulce mihi sit, de beneficiis istis tuis semper cogitare, semper loqui, semper tibi gratias agere, & te in omnem æternitatem celebrare.

Vos, Principes Saxoniæ illustrissimi, qui tam clementer ad hanc me cathedram admisistis, quibus extollā encomiis? quibus deprædicem præconiis? quod etsi spissa gravissimorū vos moles negotiorum circumdat, etsi domi habetis, quo affligamini, etsi foris videtis, quo distrahamini; curam tamen thesauri vestri pretiosissimi, Salanæ Academiæ, non deponatis: Academiæ quidem illius, quam non injuria eruditionis sedem, sapientiæ domicilium, litterarum se-

curiſſimum ſacrarium, magnarum deniq́ue animarum prytaneum, & quaſi Capitolium quoddam æternitatis nuncuparim. Encomia & præconia veſtra, quæ vel Periclem fulminantem, vel Demoſthenem fulgurantem, vel Ciceronem intonantem, ſupergrediantur, planè me jubent conticeſcere. Vetebat Numma Pompilius Deos ſuos ἐκ παρόδου ſalutari: eandem & mihi legem in cultu illuſtrium virorum eſſe ſcriptam exiſtimo: quib. & religioſam moram, & digniorem laudum ſuarum tabellam deberi, non ignoro. Quamobrem fœcundiora ad eas ingenia invito, quæ amplum hîc circum inveniant; nec easdem infantia mea audeo deterere. Offeram tamen, quam diu animum in corporis incluſum cuſtodia retinuero, Deo æterno, Deo vero, Deo vivo, vivam & opimam magnamq́ue pro ſalute veſtra hoſtiam; non grana thuris, non Arabicæ arboris lacrymas, nec duas meri guttas, nec ſanguinem reprobi bovis, mori optan-

optantis; sed quam ipse mandavit; orationem de carne pudica, de animæ innocenti, de Spir.S. profectam, ut cœlo vobis mittat excubias, ut vitam largiatur prolixam, ut imperium securum, ut domum tutam, & exercitus fortes; ut senatum fidelem, ut populum probum, ut orbem quietum, & quæcunq; hominis & principis vota sunt.


Vestro quid ordini reponam, Magnifice Dn. Rector, Generose & Nobilissime Dn. Capitanee, Amplissimi, & Excellentissimi Dnn. Professores, Patroni & Præceptores, æterna à me observantia colendi, nec invenio, nec videor inventurus. Vos enim & clientem benevolè suscepistis, & discipulum paternè erudiistis, & collegam deniq; humanissimè ascivistis. Singula singulas coronas mererentur: placebit autem, quam vobis texam, una Quænam illa? Civica: quod civem me vestrum interitui proximum, servare volueritis. Si deinceps etiam me protexeritis, & de omni-

bus triumphare angustiis effeceritis; addam auream: imponet Deus in regno suo immarcescibilem. Quid tibi spondeam, concio Auditorum cæterorum honoratissima, non frustra expectas comperiri. Meritò enim multa ab illo postulas, cui multùm favisti. Habe igitur tibi me totum, totum tibi mancipa, ac usui tuo destina: talem me tibi publicè privatimque probabo, qui nunquam non honestissimis tuis conatibus & studiis pulcerrimis, pransum paratum sese exhibere voluerit.

Dixi.



Viri



Viri summi,

CASPARIS BARTHII, EQ. SAX.

DE

LATINA LINGUA ET SCRIPTORIBUS LATINIS COMMENTATIO.

MIrabitur fortassis quispiam nugas nos nostras pueriles tanti facere, ut nunc in juventute eas vivere malimus, quàm funditus vitâ evertere. Nos verò non amore hoc erga illas facimus, ut vitæ eas asseramus potiùs, quàm æternis tenebris penitùs transdemus, sed ut profectuum nobis nostrorum ratio constet. Eâ de caussâ edemus huc transscriptam Epistolam nostram de Scriptoribus Linguæ Latinæ intra decimum sextum à nobis ætatis annum, uno die, effusam, in gratiam amici tum nostri, adolescentis optimi in-

genii, de quo tamen ex illo tempore nihil umquam inaudire potui, Balthasaris Hirschbergeri, Bohemi. Sic autem illa sonat, nullo apice mutato, nullâ litterâ, ut jussimus transscribi; ne quis nostra nunc studia ex eâ veniat æstimatum.

Quem populum Deus immortalis orbi terrarum principem præposuit, ut omnium ferè gentium diversissimi mores unius legibus componerentur, ejus quoque linguâ commercium fecit disjunctissimis nationibus, ut copulâ quâdam connexæ quæq; ex ingenio Dominicæ urbis loquerentur; ne, quos unitati subjecerant arma, studia loquendi discernerent. Fuit igitur communis quædam generi humano, ut non jam Latina, non Italica, non adeò Romana lingua vocari mereatur, sed, multo aptiori nomine, humana. Quicquid enim ab omnibus gentibus litteris consignatum, & per monumenta posteritati relictum est, id omne in cinnum quemdam redegit & absorpsit.

psit Latina Antiquitas; nec contenta, dum imperium populi sui stetit, obnoxium sibi Mundum tenere, etiam post reliquias ejus, evanescentes paulatim, apud victores suos mansit, &, quos armis Dominum gentium populum dejecisse de solio viderat, eos comitata, licet occultis primò seminibus, erupit tamen ad ultimum, & connexuit linguæ usu cum victis triumphatores. Jamq; iterum redux de Barbariæ colluvionibus ardet opponere oculos lucificis diei radiis. Non nocuit tam diu latuisse; plurimum tenebræ aciei addiderunt, & carcer diuturnus palatiorum Regiorum gratiorem usum concinnavit. Sanè si quopiam nunc loco, in Germaniâ nostrâ ejus usus nitidissimè floret; cum post semel haustum amorem desistere non possimus nobilissima natio, quod laudandum maximè, studio indefesso adpetere. Hoc Itali ipsi, hoc Galli fatentur, ex quo disertissimus Muretus, utriusque gentis gloria, confessus est, Germanis pecu-

 liarem

liarem esse in Linguâ Latinâ nitelam. At non unum & unicum est, quod renascenti generis humani delitio obstare & oppedere in cassum nititur. Huc refero *pædagogorum quorundam, utinam ne plurimorum, sordes; qui, turpe putantes, quod in juventâ didicêre, in senectâ perdendum fateri, discipulorum ingenia nugis suis decrepitis illudere satagunt, & eâdem semper chordâ incassum oberrantes, stridorem usq; ad ultimum halitum suum pro pompâ stoliditatis habent.* Hi sunt *boni illi Reales*, qui studia cruda de Grammaticâ in forum propellunt, & incumbere soli mysteriis Latinitatis autumant, cum nescio quid culinarium rancidulâ de nare balantes vervecum agmina in ludibrium suũ à suis opinationibus suspendunt. Et hi quidem propter inscitiam, & in errore pertinaciam, capitale odium litteris ferunt humanioribus, quibus tamen eo maximè nomine concedendam veniam arbitramur, quod propalam impingunt, & paullò saltim

tim acutioribus bilem in nasum cient, tanto viliore damno, quantò præstat stupores ingeniorum, & vara distortaque capita nunquam attingere sacraria litterarum, quàm ea inopiâ suâ conterere.

Aliud est genus, quod majora his longè & periculosiora in studia nostra peccare, gloriam suam retur; *homines nimirùm purè putéque antiquarii*, quibus placere nihil sine Grammatico potest: hi inania cymbala sunt juventutis, & vitio creati litterarum esse somniant monarchæ. *Libera de ferulis ætas, & exuens qualecunque Magistrorum dominium, nullum patitur nec crebriorem, nec magis infandum & insanabilem morbum. Videas ansatos adolescentes incedere, & plateas solos tenere velle, eo nomine quàm maximè turpis famæ cupidos, quo se abire de vulgi fæce, & sapere cum paucis, arbitrantur.* Hos videas carmina texere orationum longissimarum, quibus expensis si singulos auditores lectoresve in consilium interpretationis

 adhi-

adhibeas; jurabunt, ipsi ab auctoribus nihil intelligi eorum, quibus se ambitiosissimè venditant. Miserrimos, qui sub tam lentis maxillis mandunt: cumque linguam habeant ad loquendum, & edisserere, quæ velint, cupiant; voluptatem absurdissimam in aliorum conjectationibus habent, & seipsis se feliciores æstimant, cum scribere possunt, quæ ipsi nunquam ceperunt. In his duobus potissimùm nunc fluctuat afflicta puræ Latinitatis ratio: quod vitium plausibilius est, eo decumbens gravius.

Tertium genus numerare est *Ciceronianorum*, hominum servilium, & nimis quàm superstitiosorum; quibus secta est, in unius M. Tullii verba sacramentum dare, auctoratosq; ejus teneri arbitrio. *Hos videas passim cum Nizolio suo discurrentes, libro sacerrimo*; quem millibus illi multis bonorum Auctorum non mutent tamen. Hi à litteris ad Eloquentiæ summã incredibili pernicitate transi-

filiunt, &, cum elementa edocti sunt prima, nihil ulterius arbitrati in omni Antiquitate reperiri castum & politum, dignumq; hominibus voti tam sancti, Orationes pangere, aut Historiarum ingentia facinora patrare adoriuntur; scilicet, ubi quid eruditius viderint, jure suo nauteam clamaturi, &, ut simiæ, visco delectari pro liquidâ aquâ consueti. Hos ego mortales omnes, si in unam offam concoquas & diffundas, convolvas & diffingas, non habituros arbitror lumbos tam firmos, ut vel sedere, sine alterius ope, possint. Quoties quid scribendum est, consulunt Magistrum; & frigidissimum schema Ciceronis prætendentes, Nizoliani sunt meri, peridorum constupratores, inquinatores sententiarum, omnia quarumcunque rerum vocabula unius labelli raso stridore æstimantes. Anxia in eis omnia, omnia trepida, nihil naturali pulcritudine exurgens, omnia adsciticio torpore jacentia. In hanc sectam nunc propalam ge-

nerosissima quæq; ingenia, à matre etiamnum rubentia, damnantur: nihil illis floridum tenellis, nihil lætum aut splendidum præponitur. Annorum non pauci in Epistolis terendi sunt familiaribus, quarum nec ipsarum optimæ illis miseris sunt relictæ: sed per egregium censorem, quæ conducere poterant ad excitandum nativum indolis egregiæ vigorem, inscientibus subtrahuntur. Nihil relinquitur innocentibus præter verba vulgaria, quibus jam pueri sibi in triviis convicia faciunt. Qui inter paupertatis tam extremæ sordes educantur, sapere non possunt magis; quàm bene olere, qui in culinâ habitant. Et miramur, inter tot millia vix exsistere paucos, qui ausint eruditis nomina sua probare? Etiam eò redacti sumus stultitiæ, ut ne Phrygum quidem exemplo serò sapiamus. At, ajunt, magni Auctoris pusilla ætati proponenda imbecillæ; ne opprimantur, qui allici ad studia debent litterarum! Mi homo, quæ ori-

ri

ri voluptas, aut quæ jucunditas obvenit e adolescentulis potest generosi animi, si in Scholâ nihil audiant, præter *Si vales* illud elegantissimum, & de Tirone liberto, filiâq; Tulliolâ; aut Quincto fratre fractissimas ejulationes!? Hoccine verò erigere est? Quasi dicas qui navigare ob nauseam pelagi non potest, vomitionum pocula domi hauriat grandissima, ut, vacuo videlic. stomacho, aliorum oppletorum fastidia rideat. Nonne qui nihil materiæ in vacuo doloribus relinquit, ipse futurus est iis præda, qui omninò nemini parcunt? At longè est melior consideratiorque docendi regula, à primis regulis Grammaticorum traducere ad nitidissima quæque lacteneis animos; ut radicis amarities fructuum quàm maturrimâ ostensione dulcescat. Et hoc tertium est genus mortalium, ad Antiquitatis studia, in quibus unis omnis consistit eruditionis nostræ summa, periculosissimè ineptorum.

Quartum heri exortum est, quod nescio an non tribus etiam istis sit longè insipientius. Colligunt quidam in scribendo hinc inde Auctorum diversissimorum Analecta, & tamquam Emblema Lucilii vermiculatum facturi, Epistolam omnem, omne Orationis etiam grandioris genus condiunt istis suis deliciis; &, nec quid nec quare, emendicatis serici frustis pallium exornant varium magis, quam arcus esse solet pluvius. Hæc secta magnorum etiam cætera virorum animos occupavit; & glorioso ambitu ingenii aut memoriæ, ut cum nostris dicam, felicis, prætexit suum infortunium. Non est locus hic ab alio alius re aut opinione dispar, quive alternet decorem. Unam in multitudine Auctorum regulam tenent. Quodcunque loquuntur, si tabellam capias, videbis, ad Auctorum certos referri aut detorqueri posse. Et hos putes eruditorum omnium esse solertissimos, nihil non vetustæ scientiæ in parato habere ve-

verùm cum quid moliuntur, maniæ exeunt meræ, & tumores ſtolidi; nihil, niſi bullarum, pelago innatantium, ſimulacra.

Hæc de abuſu hodierno Linguæ Latinæ ſufficiant dicta, ut in brevi Epiſtolâ. *Criticos non poſſum quin hic accuſem, qui tantæ variationi anſam præbent quàm aptiſſimam.* Nihil eorum aliquam multi penſi habent, dum Scriptoris unius Medicinam profitentur; mapalia mera, quod ille ait, faciunt; nihil iis in omni genere ſcribentium obſervatum eſt, quin quocunq; loco oſtentandæ ejus lectionis neceſſe habeat præſtare materiam. Hinc in uno Auctore, eorum crimine, quos illegitimos ſentio (nam veros, qui nimium pauci, tangere non eſt animus) ſive beneficium putes, ætatum omnium agnoſcas veſtigia; & quantumcũnq; capere poteſt aſsidua legentis diligentia, diverſiſsimos characteras. Exemplis productis opus non eſt: quisque ea in promtu habet. Quo verò pacto poſ-

ſit

sit obviam iri tam nocentibus periculis, palam facere non est nostræ tenuitatis. Quid videatur tamen, in gratiam puerorum, quorum fines in adolescentiam sumus jam egressi, consignare volumus.

Principio manuductorem oportet habeat adolescentulus, non è vulgo, qui sit Auctoris Lector unius, aut hostis elegantiorum eruditionum. Quicquid discit de doctrinæ inimico, id, etiamsi ignarus, dediscere se ipsum cogit discipulus. Si enim ductorem suum scribentem viderit languida, qui sit nervosi generis præco, putat malevolentiam in eo dominari, &, quod exprimere eum cernit, id sequitur potiùs, quàm quod docere audit. Ita multi sunt animati præeuntium, in gratiam herilem, quicquid jubetur itineris recti, capiunt, quando imperii cessat asiduitas, ad diverticula & flexûs suorum tramitum revertuntur, cum egregio damno mollium annorum. Auctorem puero, qui quidem jam Grammati-

cos

cos canonas implere sciat, legendum terendumq; neminem priorem dein Plauto. Quodcunq; audebit, hujus ductu succedet. Et eximiè probari debet judicium viri summatis omnibus doctis, qui cum Cicerone, aptâ quâdam misturâ, confusum cum Comicum, exemplar posuit hilarissimæ Orationis. Si Epistolari exercitio se dabit, nemo dignior in parteis veniet M. Accio. Si carmen componet, majestatem à Virgilio, ab hoc consequetur leporem; si quidem grande id futurum est: si generis alterius, cum Horatio aut Ovidio cinnum facturus est Plautus. Nihil illius elegantiis aptius Elegiæ, nihil convenientius Epigrammati. Quocunque animum deflectes, habebis in Comico, quod usurpatum, aut æmulatum, plausus merebitur caveæ universæ. Prætereà nemo unquam tam inficetus exstitit homo natus, qui proprietatis in sermone negaverit curam priorem debere esse cæteris. Nemo jam unquam Plauto magis propiè locutus

est,

est, nemo magis ad usum accommodatè, ut, qui Ciceronem, hoc seposito, juventuti prælegunt, hoc mihi videantur agere; ut scilicet priùs quàm Latinè, eloquenter scribere doceant tironem litterarium. Si itaq; prima cura hujus Auctoris, cum quo renato omnis Latini sermonis festivitas, & propria Venus, reversa quasi postliminio est. Quis orationem nunc alicujus docti non malit unam, quàm myriadas centum loquaculorum priorum de Ciceronis unius ergastulo, quod illi Scholam dicunt. Quam ille non aperuit tamen magis, quàm isti animo sapiente frequentârunt? Terentium aptiorem, qui contendunt, id nobis agere videntur velle, quod nolunt. Nam quantuscunq; est Terentius, Plautina creatura est: quicquid bonum habet, à conditore nactus est suo; quò angustior, eò primis discentis studiis inaccommodatior. Conjungant cum principe sectatorem, qui volent: sed non utalium Scriptorem, verùm ipsius Plauti,

quod-

quoddam ad mores meliores con-
ſtrictum compendium. Atq; hic mi-
ſerer me eorum, qui, tamquam diſpa-
riles, inter hos duos inſtituunt abſur-
das comparationes, tamquàm igno-
rare poſsint, quid alteri alter debeat.
Reſtant naſuti litteriones, qui nemi-
nem intelligere volunt, quod ipſi fa-
ciunt, ii, ſi quid obſcœnum ſit, adhuc
nôrunt, doceant nos, quo pacto Te-
rentius ſit purior parente ſuo, cujus
fabulæ nequaquam aliâ conſtant ma-
teriâ: inſunt nimirùm & iſti Leno-
nes, Lenę, Meretrices, Paraſiti, Eunu-
chi deniq;, & omnis ſcæna Comœdię
neceſſaria: quæ genera hominum
velle Sibyllarum ſermonibus in thea-
tra producere, qualis, rogo, ſit judi-
cii? Et unde vocabula vitæ commu-
ni neceſſaria diſcat adoleſcentulus,
niſi inde, ubi luduntur cum mo-
nitis cavenda turpia omnia eſſe, quæ
in vitâ humanâ, nolis velis, accidere
quotidiè tibi comperiundum erit?
Doceant nos iidem, quis Auctorum
de toto Latio culpâ ſeculorum in ne-
qui-

quitiam traditorum divinitus, sit vacuus? Respondeant intercedentibus omnibus Poëtis, & censoriam istam notam deprecantibus etiam sanctissimis Auctoribus, & qui Christiani nominis vindices: pro quo etiam non nulli sanctissimas animas profuderunt. Crudeles sunt, sed sine rationis momento: concoquere non possunt, quæ viri summi ipsorum ori claudendo infarcire voluerunt: quid opus ipsis cruda revomi sua argumenta? Si possunt, rejiciant: si nequeunt nisi contemnere, suo periculo pro se sapiant: non induant in culpas suas innocentium vota.

Ab hujus Auctoris, omnium sanctissimè terendi, assiduo usu, & in naturalem succum translatione, jam ad Ciceronis flumina facere transitum jubemus Eloquentiæ Latinæ, & Eruditionis antiquæ candidatos. Quicquid ab hoc Auctore didicerint, divinum futurum est, si cavere poterunt superstitiosas loquutionum imitatiunculas. Tanta suavitas mi-

miraculi illius mortalium, in quo totas vires suas ostentavit. Eloquentia, ut vinciat nos vel levissimis catenis, & solis verbis ad omnem nutum suum reddat obnoxios. Cavendum quàm cautissimè, ne ad Sirenum concordiam obstupescamus, & naturalium obliti virium, in cantricis dulcissimæ ruminandis vocibus obsurdescamus. Facillimè contingit, cujus admiraris robur & virtutem, eum dum æmularis, ut cadas & impingas. Arma viri fortis qui induit, non continuò ipse est, cujus induviis vestitus est. Ridicula res est, gladium torquere Pygmæos velle Herculeum, cum id non possint, vaginam vibrando, putare ferrum coruscare vulnificum. Hinc libera jam nascitur lectionis varietas, quæ in animo relinquit, quicquid utile est futurum nitelæ stili alicujus elegantioris. Tam facilis via est ad summum culmen, non quidem altitudine de suâ, sed nostrâ humilitate, quâ perpendenda est rerum editarum conditio, non suâ

suâ celsitate: nisi nos videre velimus quid sit summum, ad id verò non posse pervenire, confiteamur.

Sequitur, ut de Auctoribus cæteris iudicium faciamus, illud quidem doctis superfluum, qui omnes vetustiores illos in numerato habent: at non iis qui in juventute cum anxio labore fundamenta jecerint, quo modo ea exornent, non reperiunt. Nostrâ quidem inopiâ nolumus aliorum adstringere divitias: si quæ tamen nomina Scriptorum omissa erunt, festinanti elapsa, non ignoranti prætèrita esse sciantur. In ætates igitur totas quinque diribere licet Latinos Scriptores; qui nomen istud utcunq; omnes tueri valentes, sunt tamen non usque adeò infelices, ut ex illis nihil possis addiscere, unde eruditiùs stilum acuas, nihil loco positum suo non approbare acutis censoribus. Ut, cum Afrorum, aut ætatis quartæ plerorumq; scripta legas, sub paucis verbis abstrusam reperies clarissimam sententiam; eam ubi con-

convenit comtis verbis exornatam tuam facere, est ostendere, tam potentem esse Lectorem, ut dignissimas rerum tuo vindicare valeas usui. Non enim placent, qui in scribendo verborum habent delectum, negligunt verò, quod iis comprehendi nitidissimè potest. Ita fit, ut alieno loco usurpantes indecorè, quod suo elegantissimè poterant, patiantur hiulcos tumores, & cum verba omnia dent significantia & polita, nihil in uno tamen sit corpore, quàm diversissimæ laxitatis, & abruptæ brevitatis vitia; quæ singula infulciti videns contextæ Orationis telæ, artificium putet in absurdissimis latere erroribus; semotâ verò nebulâ, reperiet mulierem in piscem desinentem; & institutâ amphorâ, exeuntem urceum stupebit & detestabitur.

Prima earum, quas dicere minamur, ætatum, & à nobis constituitur, quæ antecessit ipsam Ciceronis consummationem; videlicèt priusquàm in

in ejus nomen summa concessit Eloquentiæ. Ex eâ ætate quicquid ad nos pervenit, tam exile est, ut paucis lineis possit recenseri. Primus nominabitur is, qui modò, M. Accius Plautus, quem principem etiam adolescentibus legenovum dedimus. Is comparetur ex editione postremâ Frid. Taubmanni, à cujus diligentia commendandâ his etiam strictis lineis nimium quàm ægrè temperamus. Vetustiores quidem aliorum sunt reliquiæ, sed nobis non successio viventium, sed ætas una tota unum tempus est. Fragmenta talium hujus ætatis Poëtarum, quorum præcipui sunt, Accius, Pacuvius, Ennius, Afranius, Pomponius, Nævius, Nonius, Atta, Martius, Cæcilius, Livius, Andronicus, Turpilius, Publius Syrus, Laberius, Trabea, Lucilius, Catulus, aliiq; tales, pleraque de Festo, Nonio, Carisio, Prisciano, Servio, Macrobio, Gellio, &c. collecta, uno volumine publicavit H. Stephanus. Terentius toties prodiit, ut de ejus

co-

codicibus ægrè posſis diſpicere. Dum ad Plauti faciem alia exſpectatur editio, non illaudabilem existimem, quam Mart. Hayneccius architectatus est. Elegantiſsima & nitidiſsima est cum Commentario Donati à Friderico Lindebrogio procurata; ſed ea in paucorum, hîc quidem præcipuè terrarum, est manibus. Textum ipſum, uti vocant, accuratè eventilavit Gabriel Faërnus, homo optimi judicii. Lucretium ampliter enarravit Lambinus. Indice Elegantiarum fertiliſsimo illustravit Obertus Gifanius: cujus tamen castigationes nimiùm mihi ad caſcum ſermonem reducendum videntur audaces: meminiſſe enim debemus, cujus manibus olim castigatus ad nos venerit Poëta. Ita Gifanium magis ad priſcam omnem elegantiam orationis, quàm ad expoſitionem Lucretii legam. Eam ipſe ad formam Lambinianam aggreſſurum, ſine effectu promiſit. Novâ omninò hujus Scriptoris editione opus, quam aliquis

doctus de duobus istis concinnet. Atqui huic Auctori, sermonis gratiâ, adeò utile sit adsvefieri, ut post Plautum ix ulli æquè arbitrer: puritas enim nativi sermonis & propriè Latini in eo inæstimabilis, sine fuco planè & fallaciis. Ejusdem laudis summa penes Catullum quoque, quem à Scaligero publicatum, ediscendum elegantiarum studioso existimem. Anteà in Catullo non erat Catullus. Palma omnium commentationum Scaligeri in eum Notæ: sed quatenus altiores, temperandæ aliorum etiam diligentiâ. Ennii Annalium fragmenta, Pauli Merulæ labor, cum Lucilio Francisci Dousæ & Hieron. Columnæ opera conjungenda sunt. Insignia opera. Varronis & Catonis reliquias composuit doctissimus Popma, veterum Historicorum alii. Varronis integra opuscula ex ejusdem Popmæ & Scaligeri editionibus junctim sunt evolvenda, adhibito etiam Petri Victorii judicio. Jam Vertranii, Augustini, Turnebi,

Go-

Gothofredi, & postremò Scioppii cum Popmâ & Scaligero conciliatæ operæ sistent corpus Varronianum. Catonis liber de R. R. etiam Meursii curam subiit; sed post omnes, qui ei manum adhibuerunt, jam inde à Merulæ ætate, opus habet emendatore nunc etiam, & interprete. Referendus ad hanc ætatem Sallustius, qui cum variorum Castigationibus à Jano Grutero proditus est. Fabii Pictoris nomine à Joanne Annio libellus publicatus est, de quo alibi plura dicemus, suppositiitius haut dubiè sibi ipsi: quare Gasperis Varrerii in Berosum censura, etiam in hunc infessorem alieni nominis meritò extendatur. Quod idem de Catonis Originum fragmentis prædicem, nisi Auson. Popma aliam svaderet sententiam sequi. Hujus ætatis reperitur titulo in Catilinam Declamatio, omnibus Sallustianis exemplaribus inculcata, quam ambiguus sum, utrùm albâ, an nigrâ lineâ signem. Certè nec personam suam sustinere

videtur, nec omninò pessimi est ingenii. Absurdæ sunt, quæ L. Catilinæ nomine Ciceroni respondentes Orationes olim à Jodoco Badio Ascensio sunt commentario, si satis memini tamen, illustratæ. Pertinent ad hanc etiam ætatem ab aliis antè indicatæ; à J. Lipsio autem penitùs detectæ Senecæ Patris Controversiæ, sive Excerpta earundem potius, quod arguit exemplar Petri Pithæi. Pertinet huc fortasse, vel ad sequentem certè ætatem Quintiliani Declamationum, & Calpurnii Flacci relliquiæ, de quibus incerta judicandi libertas, ut & de XIX. illis, quas Posthumio Juniori adscribere velit Jacobus Durantius, alii titulum M. Flori Præferre in libris M.S.S. afferunt.

Hoc certè constat, post primos Principes Rom. refrixisse studium illud Scholasticarum Declamationum, à Petronio tantoperè exagitatarum. In causâ fuerit fortean Quintilianus etiam perfecto suo opere Institutionum, cujus omnes alii Rhetores

ctores sunt Analectæ. Et tantùm esse festinanti videtur, quod primæ posSit ætati affingi.

Altera sit à palmâ Ciceronis usq; ad Domitianum: nam ita hanc concludere, quamquàm ringentibus immanè, qui hactenus talia scripserunt, Grammaticis, placet: non quòd similis in eâ sibi Lingua Latina, quæ in nullâ non diSsimilima sibi reperitur; sed quòd præstet aliquam quàm nullam esse distinctionem. In hac princeps est CICERO, cujus, citra glossemata omnia trivialium Magistrorum, qui tamquàm in commune stabulum, in parentem Eloquentiæ venena sua exornârunt, editio mihi placet Dion. Gothofredi; quæ Auctorem exhibet purum, & Indicem prætereà millibus Nizoliorum multis præstantiorem. Qui Plautum intelligere didicit, ad Ciceronis phrasin vix opus habebit interprete: ex illo loqui, ex hoc dicere hauriet. Alii hujus ætatis nemini sunt ignoti, inculcantur enim ab omnibus Docto-

nibus etsi pauci omninò sint, qui, quæ commendant, intelligant. Cæsaris Commentarii cum Scholiis variorum, & Græco ex parte Interprete, nuper pulcrè Francofurti publicati sunt. Livius exspectat omninò talem, qualem Gruterus illi debet, exegeten. Editio est cum variorū Commentationibus Francofurti splendidissimè edita. Plinius Dalecampii nitidissimus ematur; edendus & hic junctis omnium in ipsum exstantium Exegetarum Scholiis explicatus. Columella è Commelini Bibliopolio præstinandus. In eum exstat Index ibidem Frid. Sylburgii. Scripsit tali ordine in eum commentationem Philipp. Beroaldus. Celsus è Tornæsii & Raphelengii Bibliopolio petatur. Senecam Lipsius, Muretus, Gruterus perpolire certarunt. A Parisiensibus petatur ingens ejus nuperrima editio, etiam Dionys. Gothofredi Locis illustrata. Gruteri Animadversiones recusæ etiam sigillatim adhibendæ. Vellejus, ut cum Lipsii,

Lipsii, Schekkii, Acidalii, & aliorum Notis conjunctis editus, comparetur. Curtius omninò est hujus ævi subactissimus Scriptor, planè nemini umquam satis laudatus. In eo excutiendæ operæ Modii, Acidalii: illcet hic nimius sit ingenii. Bongarsium expectavimus frustra. Etiam Gruterus noster hæret in hoc ære. Vitruvium satis benè tractavit Philander, adhibendi & Daniel Barbarus, & Index Bernhardini Baldi: Scriptor est nulli in hanc ætatem facilè collocandus, si certa contra documenta abessent. Scribonii Largi nomine exstat liber Medicus, planè stili non pro hac etiam ætate, de eo variæ disputantur, poterit tamen & pro tali legi. Nam qui Vitruvium di dicit melius jam quàm vulgus judicare potest: Disceptavit de hoc Marsilius cognatus libro 3. Var. Observ. c. 14. argumentis ambiguis, si satis tamen eorum commemini. Cornificii ad Herennium libros huc refero, in omnibus editionibus Ciceronis ob-

vios: si tamen Cornificii, quod voluit magnoperè Ant. Riccobonus, nec alterius, quod ambagibus multis pertendit Franc. Floridus Sabinus. Apicii Culinaria ob vocabulorum multorum fictionem non inutilem legenda, & commentatus est Gabr. Humelbergius. Omninò tamen minorum gentium Scriptor est iste. Pomponium Melam amplissimè illustravit Joachimus Vadianus, sed is paucis notus, edidit posteà H. Stephanus, emendavit, illustravit, & aliorum, Pinciani nimirùm & Barbari Notis adjectis pulcrè edidit Andr. Schottus. Asconius Pedianus ab Manutio, Hottomanno, Robertello, Sigonio, Popmâ, illustratus huc pertinet. Higinus, si is est, fabularum suarum dispendium passus est irrecuperabile. Astronomicum, Poëticum probum satis; at limâ alicujus industriosi hominis post Guilielmum Morellum, qui ad M. S. S. composuit, egens maximè. Dialogus de caussis corruptæ Eloquentiæ se ipsum in hanc

hanc ætatem collocat. Scriptum est ferè Romanum, optimi stili, optimi judicii: Pithæi & Lipsii notationibus illustrius. Petronius Arbiter penè exemplum esse poterat Ciceronis cum Plauto, aut alioquin verniliori aliquo, seu Comico, seu Satirico, confusi, si exstaret. Fragmenta nemini ignota sunt, multorum manus passa, quos redegit in cinnum Typographus Leidensis, at cum amplioribus collectaneis Goldastus. Utinam vel solo hoc Scriptore abesset obscœnitas, nemo eo unquam venustior manum ad scribendum applicâsset. Valerius Maximus à Pighio, Colero, aliis solerter castigatus est; princeps, ut videtur non nullis, castrense quondam orationis genus ad historiam Rom. licet exemplis modò constans, invehens. Vitas illustrium Græciæ Principum, quas Æmilio Probo alii, alii Corn. Nepoti adscribunt, libens huic ætati tribuam: sunt enim satis nitidè & Latinè conscriptæ: sed de iis longa disputatio est. Ediderunt

Wecheliani, cum omnium, qui in eas commentati aliquid, notationibus. Vita Pomp. Attici, à Corn. Nepote verè exarata, omnibus ad illum Ciceronis Epistolis adjecta est.

Adsunt nunc Poëtæ, quorum regnum in hac fuit ætate. Divinitati proximus, nulli humano ingenio comparandus, miraculum Naturæ, Dei opus eximium, VIRGILIUS, toties editus est, quoties nec nominari potest. Pimpontii pulcra est editio, nobilis cum Commentario Servii Posthuma Petro Danieli, non adspernanda ingens Georg. Fabrit: celebrior Pontani, egregium opus Bersmani compendiosa diligentia laude etiam digna est. Frid. Taubmanni exspectatur, par elegantissimo in Plautum labori. Horatius Cruquii, Gvaltheri, Lambini, Torrentini; Heinsii comparand⁹ est. Multi in eo alii laborârunt, nemo ferè sine bonâ fruge, commodo juventutis, cui omninò familiaris esse debet tantus Scriptor. Ovidium commentari decebat

cebat à nobili quopiam ingenio; nulli adhuc ex præcipuis traductum. Exstant Herculis Ciofani de xx. ampliùs codicibus observationes, materia exercendi acuminis. Notæ sunt in manibus Georgi Bersmani, cujus nunc ferè optima est editio, Wecheliana ingens multum fæcis trahit. Manilium pulcrè excepit in ultimâ editione Scaliger, sunt in eo Auctore adhuc infinita, digna animadversione, nec ab ullo forsitan ævo omnia eruenda Propertium & Tibullum idem eximiè castigavit. Uterq; commentariis eguit tamen, donec viris doctis & ii sunt elaborati. Exstat editio Interpretibus junctis ingens: exstat & Passeratii labor: supersunt tamen alia infinita eruenda in tantæ elegantiæ Scriptoribus. Lucanus cum multis explanatoribus Basilææ olim editus est: exstat & Bersmani non indiligens editio: & variæ Pulmani. Phædri ingenuas fabulas Rigaltius & Rittershusius expolierunt, uterq; notus. In iis nativa indoles

eſt Latini ſermonis, egoq; ferè cum Catullo, aut Lucretio ponam hunc Scriptorem, neq; inſcius, eſſe doctos viros, quibus ſecùs videatur. Sed talia argumenta fortè à nobis producentur, ut illi mâlint deinceps nobiſcum ſentire. Valerius Flaccus Carrioni bis editus, eget adhuc tamen accurati hominis limâ. Germanicum Scaliger & Grotius exornârunt, ut jam auctore ſuo poëma non ſit indignum; latent tamen adhuc quoque multa, nec Scholiaſten illi Germanici ipſo titulo à Lactantio citatum debebant prorſus abjicere: cui ſanè multas bonas res debemus. Perſium Caſauboni præ omnibus meritò admiramur. Non negligendus Cornutus: non inſuper habendus, quem Petrus Pithæus edidit, Scholiaſtes alius minutus. Priapea ut huc referam, caſtitas impuriſsimi ſermonis facit, ea habes à Scaligero & Scioppio.

Sequitur nunc ætas tertia, quam à Domitiano ad Antoninorum licet extendere exceſſum. In hac Suetonius,

nius, Casaubono & Torrentino multa bona debens; non nihil etiam Beroaldo. Plinii Epistolas commentatus est Joannes Maria Catanæus. Juvenalem à Casaubono dum exspectamus, Scholiasten Pithæanum laudes, Scripsimus nos, vel certè scribere cœpimus, ex omni genere Criticorum, nostrisque curis propriis, huic Auctori Commentarium: quem & fortè aliquando expoliemus. Gellium pollicitus est Gifanius: habemus cum notis Petri Mosellani; sed parùm ad genium hujus seculi. Carrionis labor mancus est. De Stephano silere melius sit. Martialis Raderi omnibus est in manibus. Cæteri nemini non cogniti, & bene Galli, qui jungunt nobis Poëtarum Commentatores. Gruteri & Junii merita in omnium ore sunt, illius certè eximia. Florum cum variorum Notis etiam habemus; edidit & Gruterus: edidit & Salmasius. Seneca Poëta, qui nunc est, minimè Auctoris unius codex est. Est syntagma Tragœdiarum aliquot

Scriptorum, ut Panegyricorum Rhetorum, Historiæ Augustæ, & aliorum Scriptorum ad nos venêre. Legas ad eum Gruterum, Lipsium, Raphelengium, Delrium. Justinum recensuerunt Bongarsius & Modius, uterque vulgo cog iti. Frontini opuscula egent emendatore & explanatore. Strategemata nuper recudit cum Vegetio Raphelengius, cum notis Stewechii & Modii. Quintilianum ab exacto editore aliquo adhuc exspectamus. Oportet, quod mirum dictu forsã videbitur, ut is sit in Græcis Auctoribus subactissimus H. Stephanus commentari debebat hunc Scriptorem, quod & ipsum, quare dicam, non puto omneis intelligere. Terentianus Latinè & eleganter, Maurus licet, de Metris & syllabis scribit. Eum commentatus est olim Nicolaus Brissæus Montivillarius: ediderunt deinceps Jacobus Micyllus & Joachimus Camerarius, postmodùm inter Grammaticos Helias Putschius; quàm bene, nunc non disputo.

disputo. Statio impar sanè congressus est Bernartius, nos Gruterum exspectamus, intereà Scholiaste prisco, licèt ægrè nos oblectantes, quem Frid: Lindebrogio debemus. Pollicitus eum ad Ovidii, Virgilii & Lucani faciem etiam Bersmannus, Silius à Dan. Heinsio meruit notas, Commentarium flagitat ab otiosiore: nam eum solertissimum virum meritò majora occupant. Palladium huic ætati adjicit Vives, nos interim huic annumeramus, dum meliora comperimus. Is cum M. S. compositus debetur Commelino. Reservavi Tacitum: quem Scriptorem esse prudentem & serium, nemo eat inficias. Abhorret autem meritò animus tempora illi descripta, Tiberios, Nerones, & nihil, præter horum secreta, & clades publicas. Habet is J. Lipsium, cujus Commentarium soleo ego pro optimo ejus viri scripto habere. Comparanda & editio Francofurtensis, cum variorum Notis. Item discursûs, ut vocantur, aliquot

quot Politicorum, qui in eum scripserunt.

Sequitur quarta jam ætas: quam vix adeundam censeam, nisi judicii paullùm firmatioribus, à talibus verò vix infra priores æstimetur. In hac dominantur Afri, sæpe asperi, contracti, horrentes, semper acuti, nervosi, capitales. Irenæi Interpres huc forsasse non pertinet, similior tamen his quàm quibusvis è aliis, quisquis fuit. Tertulliano notum quid præstiterint Rhenanus, Pamelius, Junius, VVovverius: is tamen Scaligerum aliquem cupiat. Cyprianum Genevéses postremò dederũt, Pamelianis adjicientes talis Theologi notas, qui parùm de Auctore solicitus castiget castigatorem. Pandectæ Juris Justinianei principem hujus ætatis locum obtinent, Gothofredi inæstimabili diligentiâ iis Notis illustratæ, ut & Lingua in eis Latina multum sibi vindicet. Præcipuè Tit. de V.S. legendus, ut cum Alciati, Fornesii, Brechæi, aliorum Notis editus habetur. Co-

dices

dices Theodoſianum & Juſtinianeum eodem huc refero. Item quæ alia veterum Juris conditorum fragmenta ad nos pervenerunt. Appuleius Beroaldi, Stevvechii, Colvii, VVovverii, Scioppii manus expertus eſt. Indicem nos in eum molimur. Opus habeat & editione ex omnibus Interpp. iſtis aliisq; coactà. Apologiam eruditiſsimè interpretatus eſt Scipio Gentilis: qui, quantus vir ſit, hoc potiſsimùm libro notis oſtendere voluit. Notârat & præclara anteà ad illam Iſaac. Caſaubonus. Capellam caſtigavit Grotius, minas Vulcanii explens. Optatus Afer caſtigatus à Franciſcâ Balduino, multum de audaciâ ejus hominis queri habet. Nos in eo non pauca animadvertemus. Cum eo editur Collatio Carthaginienſis, unde multa poſsis diſcere. Arnobius mirè ſuavis eſt in quâdam auſteritate, anxiè à Meurſio, Canteio, Heraldo, Elmenhorſtio illuſtratus. Fulgentii ſcripta omnibus in promtu ſunt, ex editione Plantinianâ

au-

auctiora cæteris. Mythologiarum libri Philologum enarratorem volunt, non paullò sapientiorem, quàm fuit Baptista Pius. Etsi in universi libelli plus spirituum habent; quàm animæ. Casſianus cum Damasceno Basileæ editus est, scriptor doctissimus. Recensuerunt Collationes ejus Romani, & in Belgio alius. Chrysologi sermones acutissimi & eruditissimi. Etiam Zenonis Veronensis, quos ego duos Apuleios quosdam Christiani nominis vocare soleo. Non vacat, neq; quisquam, puto, exspectabit à nobis, recensere hoc loco eos Christianos Tractatores, quos Bibliotheca, quam vocant, Parisiensis conjunxit: etsi quid de diligentiâ Collectorum censeam, non opus quoq; nunc erit dicere. Judicabit ex eo lector cordatus, quòd integer in eo Opere tractatus bis editus est, diversorum duorum Auctorum inscriptione; de quo alibi, & judicium de diligentiâ Collectoris inde capiet. Phæbadium novi commendatum à

doctis

dectis peculiariter. Eum Theod. Beza & Petrus Pithæus ediderunt: hic etiam Vincentium Lirinensem, Ennodium constituerunt uno ferè tempore duo doctissimi viri, Jac. Sirmondus, & Andreas Schottus, palabat anteà sine certâ sede in Orthodoxographis Basilææ editis. Firmici Astronomica egent etiam bono Interprete. Eorum nulla mihi editio est, præter Basilienſem, quam emendâsse profitetur Nicolaus quidam Pruknerus: sed nos scimus, quantum ejus lectio attento homini negotii facessere possit. Ejus libet de profanarum Religionum erroribus à Ioanne VVouverio recensitus est. Notitiam utriusque Imperii ex editione Pancirolæ præstinabis. Ex quo libro infinita utilissima Antiquitatis intelligentiæ disces. Cœlii Aureliani libri multa habent alibi non discenda, & fictionibus etiam vocabulorum sunt uberes, uti & usu non proletario. Multos præclaros Autores nunc recensebo, ut memoria suggeret,

gerat, securus omninò de ordine & dignitate. Macrobium Isacius correxit ingeniosè & utiliter. Ausonium castigârunt & illustrârunt pro captu suo Mariangelus, Accursius, Helias Vinetus, divinè Ios. Scaliger. Catonis Disticha idem Scaliger & castigavit, & Græcè traduxit. Poëtarum Christianorum opus conjunxit Georgius Fabricius; sed ineptè alios mutilavit, alios disjunxit. Opus hoc erit novo planè Opere instituto, in quod adsciscantur omninò etiam inferiorum sæculorum Auctores, quamlibet semibarbari. Sed nos aliquando omnium Poëtarum Latinorum Apotelesma edemus: qui enim ante nos tale quid ausi sunt, dici non potest, quàm de judicio doctorum hominum fuerint securi & alieni. Et quid possunt boni confecisse, qui eos tantùm noverunt Poëtas Latinos, quorum Historiam singulis capitibus aridæ velut stipulæ, expresso succo, conscribere laboravit Petrus Crinitus? omiserunt integrum Manilium,

nilium, ne quid de fide etiam eorum dextri suspicari valeamus. Alcimum Avitum dedit cum MS. compositum Ioachimus Zechnerus. Prudentium Giselinus. Sed hic si quisquam alius Auctor, bonum, benè doctum, explanatorem desiderat; sunt enim infinita in eo ad Christianam Antiquitatem spectantia, de quibus nec per somnium quidem cogitavit Giselinus, etiam cum Commentarium se scribere posse crederet. Sed aliis subsidiis ad eam rem opus esse, vel nos alibi demonstrabimus. Ruffini traductiones Clementis, Iosephi, Eusebii, ut & scripta cætera Parisiis junctim edita, neminem latent, puto. Obsequentis liber de Prodigiis non extat integer, olim in Helvetiâ à viro docto maximâ accessione auctus; uti nec Pub. Victoris de regionib. Urbis; licèt de hoc doctissimis viris aliter videatur. Minutius Felix Meursio, VVovverio, & aliis recensitus, neminem fugit. Claudianum post Parrhasium, Delrium, Clayerium,

nos

nos integrum depectemus. Utinam in manus nostras alicunde venirent, qui & ipsi in eum scripsisse aliquid dicuntur Ioannes Camers, Ponticus Virunius, Ioannes Aventinus, Ioan: Tornorupæus, & alii non nulli, quorum scripta, ubicunq; potui, inquisitá, noluit Divina vis in manus nostras pervenire. Sidonius cum in Savaronio Interpretem habet, ut illi omne genus talium Scriptorum invidere posit. Tamen Carmina alio omninò, & in Poëticâ phrasi versatisimo expositore opus habent. Notæ in eum Notationes etiam Colvii, VVovveri, & ineptiæ Baptistæ Pii, hominis ingeniosi, sed prorsus expertis judicio. Salvianum Brasicanus, Pithæus, Ritershusius dederunt: sed in eó infinita adhuc latent. Scriptor est excellentisimus. Augustini, Hilarii, Ambrosii scripta, & talium alia non egent Indice: sunt enim, Dei beneficio, notisima; quamquàm glossis effarcta etiam & mendosa satis. Abdiæ Babylonii exstat huc pertinens

nens scriptum: sed suppositītium Auctori, Interprete utiq; hujus ætatis; nisi & hic tamen fictus. Concilia etiam huc pertinent, ab Isidoro collecta; & singula etiam cum suis Actis & Gestis. Eucherii scripta junctim publicârunt Basilienses. Remigii & Primasii scripta eodem huc pertinent. Etiam Arnobii junioris & Cassiodori in Psalterium Commentaria, ille ab Erasmo editus ex præfatione ejusdem agnoscendus videatur. Eusebio Emisseno adscriptæ Conciones Latini & Orthodoxi hominis sunt: quorum neutrum isti convenit. Ego nomine Eucherii citare soleo, quamquàm non nesciam, diversorum Auctorum esse. Lugdunensem Antistitem, profitetur Auctor aliquot Homiliarum ex illis, unde ego ejus Urbis Antistitum esse suspicor, collectas in unum Codicem à Ministro aliquo ejus Ecclesiæ. Fausti Reiensis in Gallià Narbonensi Episcopi scripta itidem huc refero. Etiam Gregorii Magni, licet iste sit po-

ſterior. Leonis Magni, Leonis Mar-
ſicani ſcripta eodem deduco. Inter-
pretem etiam, ſive conditorem po-
tiùs libri, qui Egeſippus inſcribitur
quo libro non facilè alius reperietur
Gloſsis diſtentior: Lini nomine ex-
ſtant libelli de Petro & Paullo, quo-
rum Scriptor de barbaris etiam mih
huc collocatur, ſuis de cauſis. Pro-
ſper Aquitanus & Proſper Tiro, niſ
ſi unus ex his erit, eodem deponendi
Boëthius totus Baſilææ olim editu
eſt, cum Commentario Ioannis Mur-
mellii in Conſolationem, qui nunc
pene memoriæ exemtus eſt. Succeſ-
ſerunt illi non paullò ſapientiores &
humaniores Theod. Sitzmanus, &
Ioannes Bernartius. Aureolus ta-
men is libellus alium omninò poſci
explanatorem adhuc, ſubiturus et-
iam noſtram curam. Eutropium
Glareanus, Vinetus, Sylburgius re-
cenſuêre, puto. Aurelium Victorem
ſibi reſtituit Andreas Schottus; illu-
ſtravit & Frid. Sylburgius. Hiſtoriæ
Auguſtæ Auctores idem Sylburgiu

recensuit, Casaubonus, uti solet, prorsus divinè. Marcelli Empirici librum edidit Ianus Cornarius. Plinium Valerianum, quem vocant, nec dum legi. Ammianum Marcellinum Lindebrogius egregiè excepit: optet tamen Commentarium quoq; sibi. Vegetius Stevvechii non est ignotæ eruditionis. Ejus Molomedicinam dedit camparatam ad libros priscos Ioann: Sambucus. Theodorus Priscianus Medicus hac etiam ætate Scriptorum legendus est. Sexti Rufi libellus historicus cum aliis, à Frid: Sylburgio recensitus est. Severus Sulpicius, Galliæ Christianus Sallustius, Drusio, Sigonio, Giselino recensitoribus suis assurgit. Qui Dictyn. scripsit, Septimius Romanus, utiq; Romanus Scriptor est. Iornandem dedit Vulcanius. Rhetores minores junctim Pithæus. Mythologorum etiam corpus factum est à Typographis: sed ii Scriptores inemendatissimi sunt. Poëmata & Epigrammata vetera, à Petro Pithæo

edita, eodem huc pertinent: de quibus Auctoribus singulis judicium ferre, hujus loci angustiæ minimè patiuntur. Porphyrium Optatianum Poëtam edidit cum figuris suis Velserus. Antonini Itinerarium, & Æthici Cosmographia hujus ejusdem sunt ætatis. Orosius in omnibus manibus est. Panegyristas, egregium prorsus opus, post Levineium nuper Gruterus recensuit. Lactantium correxit Michaël Thomasius: enarravit Xystus Betuleius. Avieni Poëmata à Scaligero exspectari fecit Raphelengius in iis, quæ Phœdro ab se edito adjecit. Indiget is Auctor tali Critico. De Herbis insertus Apulei scriptis liber ejus non est; sed cujusdam junioris Apulei, puto. Cassiodorus etiam ubiq; notus est: cujus Variæ utilissimæ Fornerium & Brossæum efferunt. Symmachum postremo bonum dedit Franc. Juretus: emendaverat anteà & Jac. Lectius. Censorini de die Natali liber Carrioni expurgatus est, demto scripto spu-
rio.

rio. Solinum Delrio, Grasserus, Camers dederunt. Etiam alius, opere non minimo. Sexti Platonici libellus fertur de Medicinis ex animantibus: eum Sexti cujusdam Placidi esse, alibi docebimus, par omninò Apicio, quem vocant, & Appuleio Herbario; neque ego alium Scriptorem existimo; Prope est, ut hos tres sub unum illius nomen redigendos censeam, sunt enim parisimi. Anastasium de Vitis Pontificum, & quantum est Historicorum, Poëtarũ &c. ante Carolum Magnum, huc eodem refero; quod in iis omnibus indicia quædam Latinæ ingenuitatis, licet barbarie prodidiosè confusa & obcæcata. Marcellini Comitis Chronicon, Galli sermo, cum aliis ab Henric. Canisio sparsim per suas Collectiones editis eodem pertinent. Pertinet & Corrippus Poëta, Victor Tunnensis, Joannes Biclarensis, Historici; Interpres Historiæ Appollonii Tirii. Grammatici eodem referendi, quos Helius Putschius &

Dion. Gothofredus junctim edidêre. Venit eodem Isidorus, Servius, Lutatius, Philargyrius, Probus, alii Autorum prisci Interpp., Victorinus præcipuè in Rhetoricos Ciceronis. Horatii Commentator Cruquianus. Cornutus, ut volunt, in Persium: Probus junior in Juvenalem. Lucani & Ovidii exstant ἀνέκδοτοι: etiam Prudentii, & aliorum Christianorum Poëtarum. Pertinent eodem multi præclari Vitarum conditores, Gregorius Turonensis Historicus talis, talis Aymoinus, cum ejus notæ aliis plurimis, quique Martyria & agones beatorum Christi præconum & confessorum in litteras miserunt: quorum nomina recensere non est hujus operæ: & edidit, quamquam non bene mutatos, eos Auctores Laur: Surius. Glossariorum etiam non nulla ad hanc ætatem pertinent, & Chronologi non pauci. Instat nunc Quinta ætas, quæ raros sub media barbarie dedit tamen Auctoribus priscis judicio & linguâ, etsi hac nimiùm

quàm

quàm tenuitur, aliquatenus comparatos; ut sunt: Hericus, Devonius, Günterus, Saxo Grammaticus, etsi hic recentior, Matthæus Vindocinensis, Petrus Mauritius, Otho Frisingensis, Gotfridus Viterbiensis, Lambertus Schafnaburgensis, Gulielmus Neubrigensis, Gulielm: Malmesburiensis, Gulielm. Brito, Rigordus, Radulfus Ardens, Fulbertus Carnotensis, Joannes Saresberiensis, Petrus Damianus, Gerbertus, Hildebertus Cenomanensis, Stephanus Tornacensis, Hincmarus, Odo & Odilo Cluniacenses, Nithardus, Alcuinus, VValafridus Strabo, Radevicus, quosq; alios Angelicarum, Francicarum, Germanicarumque rerum conditores grandibus voluminibus, doctissimi viri Christianus Urstisius, Joannes Pistorius, Melior Goldatus, Petrus Pithæus, Gulielmus Camdenus, Justus Reuberus, Marquardus Freherus, Reinerus Reineccius, Heinricus Meibomius, aliique patriæ suæ quisque Historicos, Chronologos,
 Poëtas,

Poëtas, Philologos, & aliarum rerum conditores, publico bono tradiderunt. His omnibus & singulis judicandis, & in ordinem redigendis, locus heic non est. Indicare voluimus nos nomina eorum, ut ejus desiderio satisfaceremus, qui tale quid ex nobis poposcit. His verò & præclara doctissimorum hominum nostræ & superioris ætatis scripta, separatim ab Auctoribus scripta; & eos tamen datâ operâ illustrantia, jungenda sunt: nominatim Critici in Tomos aliquot redacti auspiciis Iani Gruteri. Opera Iacobi Cujacii, Antonii Contii, Antonii Goveani, Petri Fabri, Gulielmi Fornerii, Francisci Hotomani, Andreæ Alciati. Scripta omnia Iulii & Iosephi Scaligerorum, Iusti Lipsii, Adriani Turnebi, Isaaci Casauboni, Barnabæ Brissonii, Ausonii Popmæ, Antonii Augustini, Angeli Politiani, Adriani Behotii, Philippi Rubenii, Antonii Mureti, Blondi Flavii, Caroli Sigonii, Nicolai Gruchii, VVolfgangi Lazii, Fulvii

Ursini,

Ursini, Petri Ciaconii, *R*aphaëlis Volaterrani, Ludovici Cœlii, Erasmi *R*oterodami, Christophori Coleri, Casperis Scioppii, Ioannis Corasii nonnulla, Antonii Delrii, Dousarum, Stephani Forcatuli, Scipionis & Alberici Gentilium, Lilii Gregorii Giraldi, Petri Gregorii, Desiderii Hiraldi, Bernardi Martinii, Ulyssis Aldroandi, Joannis Meursij, Ioannis Kirchmani, Isacii Pontani, Ioannis Ioviani Pontani, Hermolai Barbari, Antonii Hottomani, Hieronymi Magii, Manutiorum Patris & Filii, & Marcelli Donati, I. Marliani Hieron. Mercurialis, Onuphrii Panvinii, Cæsaris Bulengeri, Iacobi *R*ævardi, Beati Rhenani, Gulielmi Stukkii, Andreæ Tiraquelli, Petri Victorii, *V*incentii Contareni, & innumerorum talium aliorum, qui immortalem sibi laudem scriptis Antiquitatem Rom. illustrantibus condiderunt.

M. JOHANNES WEITZIUS

Eruditissimo Viro

DN. M. JOHANN-MICHAELI DILHERRO.


PHilologiam, Mercurii filiam, tibi nuper depinxi, DILHERRE; atque utinam veris effigiassem lineis & coloribus, ita ut illi, qui in Apollinis castris sunt ex cohorte Prætoriâ, & in comitatu Musarum Aulici primi facti sunt, nullum in ejus corpore nævum deprehendere ac maculam jure possent. Sed Apellis penicillum, quo in Helenæ delineandâ pulchritudine fuit usus, si defuisse mihi deprehenderint; non obelo protinus confodient dicta, & genuinum moralem conatibus infiget invidia. Quid enim? Ἀρκεῖ ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον. Et bonâ tu scævâ animum ad perdiscendum, quid sit CRITICE appulisti: *cujus est, operam dare, ut melius sit omnibus utriusq; lingua, Græca & Lati-*

næ, Scriptoribus: ita ut vel loca optimorum Scriptorum malè adfecta persanentur (hoc est, transposita in autoribus suis sedibus vindicentur; non proba, tribu moveantur; neque tantùm, quæ perperam ab autoribus dicta, scripta, pronunciata sunt, ἰβελίζωνται, sed & aliorum Criticorum temerè scita notentur ac castigentur) vel iidem, ubi obscuriores sunt, illustrentur. Et Critica quidem, quando suos intra vacerras sese continet, Sol & sal est literarum: ejusq; Principes à Scaligero (at quô viro?) apud Græcos fuisse scribuntur, Aristophanes, Crates, Aristarchus, Callimachus: apud Latinos, Varro, Santra, Sisenna. *Est igitur tibi gravis adversaria constituta* (verba Ciceronis ad Curionem de te usurpabo) *& parata incredibilis quadam expectatio; quam tu unâ re facilimè vinces, si hoc statueris: Quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus ea laudes comparantur, in iis esse elaborandum.* Sed sunt tamen numero plurimi, qui

ftincilant & traducunt hoc ſtudium, ut inutile; ſunt etiam, qui contemtui habent, ut leve. Unde nihil aliud *Critices ſtudium eſſe* ajunt, quàm *leviſſimum humanæ ſapientiæ choragium*. Quid enim? inquiunt. Tanti erat noſſe, quæ ſint *Medeæ gypſatiſſimæ* illæ *manus*? quomodo Horatianus ille Candidatus *trans pondera dextram porrigeret?* quid anus illa ſibi velit, quum inquit; *Nec quicquam melius eſt mihi, quàm ut ex me literam unam longam faciam.* Qualis quotaque Luna fuerit, quum Troja capta: oleumne an ex cedro lignum ureret. Circe in nocturna lumina: quot Marſyæ ſtatua coronarum capax eſſet. Quæ utilitas eſt, ad amæniſſimum alioqui elegantiæ florem perventura ingenia ad hos caſſes & filamenta aranearum detorquere ad hæc ſpineta lacerare, ad has tanquam molas conſeneſcere, & ſumtuoſiſsimam temporis jacturam facere? Quid commodi habet, nihil niſi fugiens & deſitum in pretio habere, ruta & cæſa

cæsa ævi antiqui adorare, & quæ longi temporis delevit alluvio, numerosis chartis explicare? Locustarum hoc est & Canidiarum cadavera refodere! quod faciunt, qui veterum Scriptorum ossa legunt, ut inde priscum aliquod vocabulum vel ritum, nullo operæ precio & hostimento, eruant, & tanquam redivivum cadaver ex pollinctorum fasciis expediant. Quod ubi factum; tum verò triumphatur, & quasi de fractis Acheloo cornibus & magno aliquo Isthmo perfosso jactationes feruntur. Sed hoc quid aliud est, quàm in infidâ & fugitivâ arenâ mansuram domum construere, & ex infelici ligno Mercurium conformare? Alia, quæ hunc in ordinem sub Caniculâ nati vitilitigatores veluti ex plaustrô jaciunt, convitiáne dicam, an opprobria? lubens velô silentii tego, &, Sulpitiæ doctissimæ Poëtriæ verbo, *constanter omitto*. Hinc in aprico est, quæ Syrtes pervadendæ, quamque difficile æquor enavigandum, si quis

in ſcriptis aliorum caſcis laureolam quærere ſatagat, hoc eſt, in ſaxo herbam, in umbra ſplendorem, & aprū in nemore non ſuo venetur. At tu macte virtute eſt! Suaviſsime DILHERRE: pede felici ad metam tuam absque lapſu aut offensâ contende, atque Criticen ex ſalebris, in quibus heret, expeditam vindica, & politam da ἐκ ποδὸς ἐς κεφαλὴν. In efficiendo labor: in effecto, laus ingens & ἐπίηρατος δόξα proponitur. Ego plauſum toto pectore concipio, & acclamo: FELICISSIME! Valdè autem metuo, ut Theologiæ tuæ tantum ſubtrahas temporis, quo ſterilibus hisce ſtudiis te mancipes. Fiat ergò, quod ut fieret, Deus decrevit: & tu Vale, mi mellitiſsime! Gothæ IV. Maji, An. cIↄ Iↄ cxxxI.



M.Jo-

M. JOHANNIS MICHAELIS DILHERRI, nonnulla de Criticis.

Excerpta ex ejusdem Oratione, de Criticis, in quam ex Optimis quibusq;, quæ de ipsis scienda tyronibus, erant congesta.

FOres sermoni meo ab ipsa voce aperiam: quæ licet in labris natet ad unum penè omnibus, & tantùm non à caprarum jactetur contubernalibus; cognitum tamen vix pluribus, quàm quot

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili,

quid ea veniat intelligendum. Si enim consulamus Onomastica, si omnes scapulis comportemus scapulas, de litteris non malè meritos; hoc tantùm ab illis perdocemur: *Criticos judices esse Poëtarum.* Quasi nunquam quisquam, censoriæ Criticorum virgulæ, nisi miseri Heliconis

habitatores, fuerit expositus, aut κριτικὸς nihil à κριτοῦ differret. Longè extendi latiùs Criticorum provinciam, brevi, faxo, animadvertatis. κριτικὸν autem à κριτοῦ differre plurimùm, deprehendent illi, qui vim vocabulorum nativam non limis adspiciunt. Ecquis enim ποιητικοὺς à ποιητοῖς, στρατηγικοὺς à στρατηγοῖς esse diversos, etiamsi oculis laboret Homericis, non videat? Operandi facultatem ab operatione discriminari, latet neminem. Alius itaq; fuerit ποιητὴς, alius ποιητικὸς; alius στρατηγὸς, alius στρατηγικὸς; κριτὴς alius, alius κριτικὸς. Utinam verò nulli, *Poetice Candidati* audire discuperent, nisi quos Deus & melior Natura, etiam ποιητικοὺς voluissent! non tanta foret Lauri annona, nec *tot homines trium litterarum* obambularet. Utinam exercitum regeret nemo, nisi cui *animus Ulysseus, & dextera Achillea!* non tot miserrimorum militum catervæ, noctem perpetuò unam dormirent. Utinam nemo κριτοῦ munus ambiret, nisi qui

Mu-

Musis ab intima esset admissione, & κριτικὸν se cognoscere ! Quis igitur nobis Criticus ? quem Natura sagace quadam & solerti prudentia ornavit, ut quid ὄντα distent à φαινομένοις judicare valeat & discernere. Quemadmodum enim officium aurifabri palmarium est, posse deprehendere,

ne qua subarato mendosum tinniat auro:

ita partes Critici verè sustinebit, qui inter vera & falsa, inter certa & ficta, inter solida & lubrica, inter pura & fucata, cautè possit distinguere. Quod si hanc suam dynamin exerat: concinniùs κριτὴς, quàm κριτικὸς appellabitur.

Non tædebit vos A. Epigrammation audire *Doctissimi H. Stephani*, cui ista debemus: quod faculam toti negotio allucebit splendidissimam:

Scriptorum κριτὴν te jactas esse meorum,
horum ut sis κριτὴς, κριτικὸς esto prius.
Κριτικὸς esse potes, tibi si κριτήριον haud est?
at, ne desit id hoc, mens prius esto tibi.

Si

Si igitur vervecino te capite sentis; ab Helena abstine, potiusque
Duc ad mulctra greges, & lac venale per urbem non tacitus porta.

Ecce vobis vocem, ad quam longius adhæsi, *Plinii* privilegio abductus, qui *pravaricationem esse ait, transire dicenda, nec orationem ictu magis, quàm mora imprimi*: Deinceps tamen Asiaticum hunc tumorem Laconico sale siccabo.

In originem Criticorum si inquiramus; non Erasmi demum aut Lipsii ævo inveniemus exortos, sed longè longeq; antiquiores. Leges qui sanciunt; qui eas custodiant, constituunt: ita Deus, vel etiam *Natura*, ceu *divina quadam favilla*, cùm in rebus hisce caducis ac mortalibus admirandum reconditæ suæ sapientiæ exemplar, hominem creâsset, ac nitidissimis litterarum thesauris locupletâsset; qui sanctè eos tuerentur, esse voluit Criticos: ne vel à tumido Sophistarum manipulo lima-

rentur,

rentur, vel à temerario Barbariæ ausu sepelirentur. Atqui in hanc quidem curam filii hominum primi, Adami scilicet ac Evæ, laboriosè incubuerunt. Cùm enim à Parente didicissent, mundum aliquando diluvio & incendio periturum; veriti, ne Parenti inventa posteris detrahentur, duas columnas vel tabulas erexerunt, alteram lapideam, alteram lateritiam, quibus mundi creationem, lapsum hominis, primam promissionem, fundamentaque omnium artium inscripserunt: ut quamcunq; sustineret orbis pœnam, altera tamen istarum extaret ad posteros: quemadmodum testis est Josephus, affirmatq; tabulam lapideam sua adhuç ætate in Syria fuisse adservatam.

Ab ista sedulitate posteri nequaquam declinârunt, sed durissimos quosque sustinere labores, non sunt gravati: ut Majorum

--- *multa & præclara reperta*,

conservarent. *Post pelliceas istas tunicas*, cùm gens sancta, & electum

Dei

Dei peculium magis magisq; à pietatis tramite deficeret & patrias proinde sedes relinquere cogeretur, longoq; pòst tempore, lege sua propè erosâ & antiquatâ; ad avitam glebam rediret: omnis spes in Critica erat reposita. Esras namque legis peritissimus *Concilium*, quod, ab adsessorum frequentia, meritò *magnum* [כנסת הגדולה] appellatur, convocabatur; cujus ope consilio non universæ tantùm Eccles. Hierosolymitanæ & Judaicæ; cerimoniæ fuere instauratæ, ab inquinamentis perpurgatæ: sed ipsa etiam Scriptura Dei sacra, denuò fuit concinnata, & quicquid labis, per diuturnæ captivitatis difficultates, dolores & angores, invectum videri poterat, sublatum: ut Fidei Canon integer, & norma extaret incorrupta, essetq; discrimen inter nucleum Prophetarum, & putamina Seductorum: Quid hoc aliud, quàm παρεγγεγραμμένα, ἐμβολιμαῖα/καὶ τὸ θετόν τε ἀθετεῖν, ὀβελίζειν, &, ut Artificum utar vocabulo, *desculpare*? quod

quod præcipuum Criticæ est officium.

Quin &, cum Esras χλεύωνος auguraretur, res Hebræorum ad Triarios, ut ajunt, rediturum, politiam iri eversum, sacrificia sublatum, templum extinctum, hancq; Tragœdiam luctuosissimam in oculis omnium actum, nec fore quenquam, quin ab ipsa purpuraretur; consilium init, quomodo Legem, rudera ruinæ inæstimabilia, posteris afflictissimis reservaret. Criticam igitur adit: quæ id operam daret, ut & incisa, & verba, & litteræ Legis numerarentur singulæ; ne vel apex minutissimus inde excideret. Ad nos si labor hic esset devolutus, procul dubio, quot litteras salutis codex complecteretur, etiam nunc lateret. Præterquam enim, quod viperæ perquàm multæ è vepreculis prorepunt, qui Criticum hunc sudorem è medio omnem optent sublatum, & malè in Critica tempus collocari irrevocabile clamitent; inter homines etiam versantur,

tur, qui de omni accuratiori erudi-
tione satis sentiunt & loquuntur sc-
biosè. *Leves quippe & imperiti*, u
Greg. Nazianzenus inquit, *sic affici-
untur, ut omnes sui velint similes, ut i
communi illo grege lateant, & inscitiæ
reprehensionem effugiant.* Et: *dent-
bus vescentium edentulus plerumq́ue in-
videt, oculosq́ue caprearum talpa con-
temnit ait Hieronymus.*

Magnam veterum simplicitate-
fuisse, verosimile est: quod bove-
locutum inter prodigia posuerin-
cùm hac tempestate loquantur quo-
tidiè. Ista enim osorum & conte-
torum verborum verba non ce-
hominis, profectò bovis. Sed
viam me revoco, & ad eos transe-
Criticos, quos aluit Græcia. In-
eos potissimùm emicuit,

---- *velut inter ignes
Luna minores*,

vel omnes potiùs

---- *præstrinxit ut æthereus Sol.*

Aristarchus. Hic cum ex Aristoph-
nis, summi litterarum censoris, lu-

pr

prodiret, adeò evasit celebris, tantaque fuit auctoritatis, ut Praeceptoris nomen ferè obscuraret, & Aristarchi nomen, de quovis exactissimæ ac severissimæ censuræ Critico in proverbium abiret. Multùm fidei adhibuere Doctori Samio discipuli, ut ipsius nomen esset vicem rationis, & sufficeret dixisse: αὐτὸς ἔφα: plus tamen longè tributum Aristarcho: quem non mortalem, sed Deum ferè immortalem censebant: Græci teste Heinsio, penè unicum colebant *Homerum: quem omnibus humanis ingeniis præferre audet Plinius; cui statuas simul & templa dedicabant, ex cujus auctoritate judicia & lites definiebant; quem ob summam eruditionem πολυπράγμονα Antigonus, multiscium & omnium peritum Apulejus, patrem liberalium disciplinarum, vir maximus Tertullianus dicebat:* jus tamen & vitæ & necis in ipsum obtinebat Aristarchus; ut, quem ille versum non probaret, is Homeri negaretur, ac inter ἀβελιζομένους numeraretur. Calculos jam

jam ponite, A. & seriò vobiscum expendite, quo numero habitus Criticus Aristarchus. Subjungerem ex Græcia plures; nisi nota vobis toties iterate, mihi ducerem dedecori, vobis verò fenio & dividiæ. Quamobrem ad Latinos accedo: qui & ipsi habuere, qui exemplaria vetera emendarent, distinguerent annotarentq;: quos Litteratos dicebant vel Grammaticos. Tanti enim eos faciebant, ut Litteratorum ipsis nomen κατ' ἐξοχὴν adsignarent; Grammaticorum verò, quod alia hujus vocabuli isthoc ætatis esset significatio. Tria enim Grammaticorum erant genera: alii τεχνικοὶ, ἱστορικοὶ alii, alii κριτικοὶ vocabantur; inter quos Critici, tanquam Censores quidam erant veterum liberorum, & quid verè distent erva lupinis, explicarent. Hi postremi omnium erant primi, quicquid cæteri callebant, arti suæ conjungebant. Et hi, non illi, qui vel crustula dant pueris, vel verbera, veniunt intelligendi; cum in Criticorum mo-

numentis, Grammatici aliquando nobis vox occurrit. Hoc saxum volvit Latinissimus *Varro*; cujus superstites libellos φιλόλογοι quivis exosculantur, *Furius, Nonius, Agellius*: quin & ipse *Julius Cæsar, Augustus, Cicero, Pomponius Marcellus*, alii: qui tanquam in specula constituti, linguæ castimoniam vernaculæ tutabantur, & peregrina, quasi patriam incendio, rapinis & proditione perditura, arcebant. Alia quippe illis sedebat sententia, quàm Germanis: quibus lingua vernacula pro cœno; peregrina pro amaricino. Amorem Romanorum in linguam patriam, ex brevicula hac cognoscite historiola: *Sisennâ Statilio Tauro, L. Libone Consulibus, Tiberius edixit, ne quis aurea vasa, nisi ad rem sacram haberet: dubitantibus nonnullis, an argenteis etiam, quæ aureis emblematis celata essent, interdixisset? Facturus hac quoq; de re edictum, emblematum vocabulum in eo poni, quia Græcum esset, prohibuit: quanquam Latinum, quo id interpretaretur,*

tur, nullum esset. Propter vocabulum igitur intermiscendum peregrinum, ab edicto omninò abstinuit. Tolerari tamen in partem hic exoticarum linguarum usus posset; nisi cerdones & fungi, qui loci naturalis mœnia nunquam egressi, in conviviis, foro aut tonstrinis, voculas quasdam aucupati, magno cum fermento & tumore vernaculæ infercirent. Lepidè acutissimus Piccartus: *Neronis principatu ostentum ingens narratur factum: cum in agro Marrucino Vectii Marcelli universum olivetum viam publicam transgressum est, & contrà è vestigio in locum oliveti arva successerunt. At magis stupendum intra hos paucos annos prodigium Germaniæ nostræ oblatum est: in quam Italia, Gallia & Hispania subitò immigravit.*

Diximus antea, Criticorum esse, spurios Auctorum fœtus dignoscere; quod quibus fiat adminiculis, omnes audire gestitis. Magnum opus, & centum bobus dignum, maculas abstergere posse ex veterum libris,

Oper-

Oportet enim, ut verissimè notat *Robortellus*, *ingenium habere benè subactum, & excultum, multis esse instructum disciplinis, perlegisse antiquos Grammaticos, qui veterum loquendi rationem observârunt, evolvisse ipsos auctores diligenter, antiquitatis totius notionem habere; recentiores etiam scrutari: contingit enim, si id non feceris, ut eadem dicas & scribas, quæ alii, ac nova esse putes, quæ sunt vetera: bonam habere librorum copiam antiquorum, ingentem possidere supellectilem chartarum.* Unde videtis, media corrigendorum scriptorum esse duplicia, quorum *alia animo insunt; alia sunt extrà posita*: cùm *velutamur veterum operâ librorum, manuscriptorum, aut impressorum; vel conjectura ducamur*; qua modis octo auctoribus sanitatem reparamus: *Additione nimium, Ablatione, Transpositione, Extensione, Contractione, Distinctione, Copulatione, Mutatione*; de quibus si pro dignitate jamdicere animus sit: necesse sit

T cen-

- - - centum mihi ; ofcere voces,
centum ora, & linguas optare in talia centum,

prætereaq; ſpatium temporis ſatis laxum,quo agmen exemplorum poſſim adducere: quæ in proclivi eſſet arceſſere,ex *utroq; Scaligero, Caſaubono, Lipſio, Meurſio, Turnebo, Mureto, Barthio*, multisq; aliis, quos luci expoſuit *Gruterus*: quibus, quaſi aureis tibicinibus, Muſarum templa fulciuntur. Sed ſi vos a occupationibus veſtris ampliùs detineam, imprudens ſim & infrunitus.

Audiviſtis A. non Poëtarum tantùm Criticos habere curam, ſed omnium, quos Sol videt, auctorum. Quî verò factum, quod Poëtarum ſolùm judices ſint æſtimati? tribus hoc verbis ediſſeram.

Ædilium curulium erat, de Poëmatibus populo publicè exhibendis proſpicere. Quamobrem ne ea proponerentur,quæ irato Apolline Muſisq; parùm faventibus eſſent ducta; quidq; ex eruditorum numero ſelegerunt,

gerunt, qui, ῥαβδοῦχοι appellati, Poëtas sua in æde Apollinis Poëmata recitantes audirent, digna creta, indigna notarent carbone. Quinq; hi Poëtarum Censores, quoniam & publicè & creberrimè suam de poëmatibus sententiam ferebant, & admodum essent Romæ conspicui: soli, vulgari judicio, Criticorum nomen meriti videbantur. Quin & Critici. Sed nolo ulteriùs ab oratione efferri.



EJUSDEM
De
Stylo Ciceronis Dissertatiuncula.

UT, qui magnas opum struices conquirunt, veteribus inhiant numismatibus, quæ diurno corradunt labore, sudore parãt nocturno: ita quibus solida cordi est eruditio, quibus Sirenes ignorantiæ & desidiæ usq; in exitium dulces, expellere animus

mus eſt; non Suffenos horna æſtate è terra prognatos, nomenque ſuum quotannis bis tervè ad nundinas, librorum indicibus inſcribendum, miſsitantes, ſcrutantur: ſed in veterum Sapientiæ Sacerdotum monumentis, non ſuperficie tignisque cognoſcendis, omnem animi curam defigunt. Cum enim duo cumptimis ſint ſcopi, quos præſpeculamur, & de quibus ſinguli non ignotum pronunciamus verſiculum: Has meus ad metas ſudet oportet eqvus: variarum nempe maximarumq; cognitio rerum, quibus pectus, poſt malum à pruriente Eva malèdecerptum, inane impleamus, & lectiſſimorum copia verborum, quibus mentis ſenſa jucundè, ornateq; explicemus: neminem arbitror tàm ceritum, tardum bardumque: qui hæc vel circa famoſum Poëtarum ac Caballinum fontem haurienda, vel in bicipiti quærenda Parnaſſo, vel Bœotiæ petenda Helicone, ubi Muſas fingunt habitare, exiſtimet. Vete-

rum

rum ſcripta ſunt limpidi illi fontes, & montes amœniſsimi, unde non rerum modò bonarum cognitio, ſed verborum etiam elegantiſsimorum copia eſt ſperanda. Sunt equidem, quamvis *rari nantes in gurgite vaſto*, qui noſtra etiam hac tempeſtate, quantum Myſorum termini diſcreti ſint à Phrygibus, didicerint: illorum tamen omnium omnia, quæ laudem merentur, & commendationem, non tàm ipſis debentur, quàm priſcis; ex quorum fœcundiſſimis ingeniorum fluminibus, in exiguos noſtros rivulos promanârunt. Dic mihi, ſi vires, in omni literatorum natione, in toto literarum ambitu quicquam, cujus fundamenta, antiquos non fateantur auctores. Non quidem nulli extitere audaculi, qui naſum ſupra Rhinocerotem geſtantes, multorum voluere inventores audire: ſed iſtæ tandem corniculæ quid aliud niſi riſum excitarunt, cùm ſuas pavones plumas repeterent? Præſtent forſan aliquid, ſed tantùm

quod curracæ, quæ cuculi ova exclu
dunt.

Amandi igitur & amplectendi
qui Veterum illa reperta, operâ no
desultoriâ interpretantur: & copio
sissimas scientiæ incomparabilis sca
turgines, vepretis nonnunquam &
dumetis obductus, expurgant. Se
ut agri non eadem excoluntur utili
tate, cùm fertilis horrea impleat; ste
rilis spem coloni eludat, lappas pro
ferens, tribulos & abjectas avenas
ita nec eadem scriptorum veterum
est bonitas; sed quò sunt illi genero
siores, quò politiores; eò majorem
quoque fructum ex ipsorum lectio
ne reportamus.

Etsi verò neminem sua ego laud
defraudo, & facilè cuivis permitto,

---- *digito monstrari & dicier hic est*

nihilq; malim, quàm ut

---- *per me sint omnia protinus alba*

cùm, *si in me descendam*, & viricula
excutiam, ingenium deprehendam
ne ultra mediocritatem quidem eve
ctum, judiciumq; pertenue: tamen
cum

cum viros judicio ad stuporem exacto, ac ingenio supra hominem felici pollentes videam adstipulantes; clara proclamare voce nihil dubito: *inexhaustus Sapientiæ & Eloquentiæ promus condus Cicero: ingeniorum flos Cicero, ingeniorum flos Cicero: Cicero talis Orator, in quem omnes Pettho dotes suas largissime profudit; quem si dixero, non Oratorem, sed universa Oratoriæ ornamenta dixero; cui similem post homines natos perspicacissimus mundi oculus Sol non vidit, non jam videt, non apud posteros visurus est: quem meritissimo suo, facundiæ, Latinarumq; litterarum parentem, & lucem doctrinarum dixit Plinius; quem immortalis ingenii beatissimam ubertatem, in omnibus, quæ in quolibet laudantur, eminentissimum, ac dono quodam providentiæ genitum, in quo totas vires suas eloquentia experiretur, prædicavit Quintilianus.*

Quamobrem cum nihil audiverint Romana theatra hoc homine admirabilius, nec detur ullus rerum & verborum thesaurus copiosior

Cicerone: ab ejus ore pendendum
censent prudentes rerum æstimato
res omnes. Satis jam, satis conque
sti sunt, quibus altior malorum com
munium sensus fuit, de confusissim
erudiendi, & sermonem docendi il
libatum ordine, quo insulsi Schola
rum moderatores modò hunc è ve
tustate ascitum, modò illum è nostr
hoc ævo evocatum, juventuti pro
posuerunt: quo delirio eò fuit reda
cta, ut aurei illius seculi auctore
haud imitaretur aliter, quàm qu
continuo audit colloquio Lydos
Mysos, Bæotos, Atticos, Jones, a
quorum aggregare se loquendi mo
dum, vel nunquam quisquam, vel vi
multis è millibus unus posit. Egre
giè *Romanorum* Sapientissimus Se
neca suadet, uni immorari nos inge
nio debere, si quid fideliter trahere
velimus, & nuspiam esse, qui sunt u
biq; quemadmodum, qui peregri
nantur, hospitia habent multa, do
mos, quas vindicare sibi posint
paucas. Venustissimè Phidias, artifi

cio-

ciosissimè Apelles, suavissimè Polycletus imagines adumbrabant suas, quod quas poterant omnium pulcerrimas, animo ideas proponerent: componemus & nos orationem non tædiosam, si ad Ciceronis eloquentiam manum mentemq; dirigemus. Visum ita *Erycio Puteano, alteri Lipsio*, qui sententiam de stylo rogatus, respondit: primam scribentis ruditatem Ciceronis unius lectione expugnandam, deinceps plures, imò omnes cultioris ævi scriptores evolvendos, ut oratio perfectione suam, majestatisq; pondus accipiat. Nostis omnes, Charissimi, infantem lacte nutriri uno, puerum cibo vario, pane, carne, olere, pulte: ita & nos lac Suadæ Ciceronianæ primò imbibamus avidissimè; addamus deinde alios non mali commatis auctores, ut iis, tanquam cibis robustioribus, consolidemur, corroboremur, nec ullo unquam scripto, quasi incognito, perterreamur.

Obstetrix ego, si Omnipotentia voluntati subjecerit facultatem, ero fidelissima, cibum præmansum in os ingeram, & quæ vestro intellexero responsura desiderio, nunquam intermittam. Ita enim doctorum nos sententiæ informant, &, ad fidelitatem, bonis omnibus plena manu declarandam, formant proclives, ut, si cuiquam eam denegemus, aut proficiendi ansam præcidamus, publico convicio diris devoveamur, & illud audire Comici cogamur:

Quod habes, ne habeas: & illud, quod nunc non habes, habeas malum:
Quandoquidem nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.

Novi equidem, imò & comperisse me fateor, aterrasse agnosco, lectionem Ciceronis juvenibus nobis accidere injucundam. Vultis causam vobis aperiam? eam esse intelligo, quod nobiscum non ineptiat, aut cothurno semper tragico incedat. In juvenibus pleraq; sunt omnia tumida, inæquabilia, qui similia sui omnia

exo-

exoptant: talia autem, quæ Ciceronis sunt, non sunt: unde istæ odii scintillæ exardescunt. Nolim tamen eos, qui altiùs nonnunquam exsurgunt, obelisco planè configere. Sicut enim in vitibus facilè revocantur ea, quæ sese nimium profuderunt; ita in adolescentia haud difficulter amputantur superflua. Et quod in pomis est, itidem ajunt esse in ingeniis. Quæ dura & acerba nascuntur, pòst fiunt mitia & jucunda, sed quæ gignuntur statim vieta & mollia, atque à principio sunt uvida; non matura mox fiunt, sed putria. Ne igitur omne cum pulvisculo præcidamus ingenio, quod dies possit atque ætas mitificare.





EJUSDEM
De
PERIODIS ET ÆTAtibus Auctorum Lat: Linguæ Commentatio, Methodo alia.

GLoriam Germanis parit non minimam, quòd vel ipsi Itali, qui magno olim supercilio cæteros despiciebant, & solos sese aliquid opinabantur, lubentes hodie confiteantur; in nullis hominibus, hoc quidem tempore, præterquam in Germanis, promtam atq; expeditam reperiri Latinè loquendi facultatem. Muretus l. 15. cap. 1. apud J. Gruterum Lampados liberalium Artium T. 2. p. 1131. *Venerant ad Muretum, visendi ac salutandi causa Nobiles aliquot Germani adolescentes, quorum colloquio cùm Darius Bernardus, juvenis & festivo ingenio, & sanctis planè atque incorruptis moribus intervenisset, hoc, quod modò diximus, ipsos encomio*

mio cohoneſtavit, ulteriùs iſthæc ſubji-ciens: Vel ii, qui modò abierunt, ut nuſquam in loquendo hærent, nusquam titubant, nusquam offendunt, ut omnia in numerato habent, ut tota eorum ſine ullo impedimento ac ſalebris decurrit Oratio! At noſtri homines, etiam ii, qui ſibi è ſtudiorum laboribus pallorem & maciem & ſenium contraxerunt, ſi quando Latinè loquendum eſt, ut luctantur, ut ſudant, ut anhelant! Credas eos, magnâ vi, ex imis pulmonibus verba eruere: cùm iſtis contrà, ſine ulla cura ac cogitatione, jugis quædam ac beata Latinarum vocum copia ultro ex ore manare ac decurrere videatur. *Hæc Bernardus, cui Muretus reſpondet.* Eſt iſthuc quidem ita, ut dicis.

Hanc noſtram famam, ô Mei, ne perdamus, ſummâ, quæſo, ope contendite: ad Latialis eloquii Principem, Tullium, pleno gradu, & paſſis quaſi velis properate, animum, linguamq; ſermonis Latini copiâ probâ ſubigite. Quando autem ad Ciceronem ſuademus decur-

rendum; nôlim, hanc mihi sententiam quisquam affingat: quòd laudem ex uno debeamus Cicerone aucupari: de illis enim meritò cum Satyrico exclamamus:

O imitatores, servum pecus!
Nimis hoc est angusti animi, & hominis, cui hoc, quod ipse Cicero de Cleanthis & Chrysippi Rhetoricis pronunciabat, oggeri debeat: si obmutescere concupias, nihil aliud legas.

Legendi sunt plures, Antiqui Noviq́; Heroes, quibus positum fuit in manu ingenium: quod tamen fieri hoc modo haud potest, si, anserino nonnullorum judicio, ad Florilegia nos proripiamus, cum irreparabili mollium annorum detrimento. Tales tandem exclamare cogentur: O mihi præteritos referat si Juppiter annos, & liceat Samios iterum contingere ramos! *Habere in numerato omnium ætatum Scriptores, scire, quid de quoq́; censere, quem imitari, quo sermonis genere in quovis argumento uti debeas; quidnam singulis proprium sit, quid aliunde affabrè ex-*

pres-

pressum; quid verè politum sit, aut ubi Scriptori somnus irrepserit, hoc demum potiores doctrinæ numeros, judice Philippo Carolo, *absolvit.*

At quoniam de tot illustrium scriptis ingeniorum, de tot Eruditionis exasciatæ Atlantibus, qui nobiscum jam, ut Optatus Afer *loquitur, loquuntur de tabulis, dicere sententiam neq; per ætatem possumus, neq; si possumus, debemus; cùm ad rem nos aliam accingere oporteat; hoc saltim Lectioni nostræ adminiculum haud infrugiferum afferemus, ut & de Latina lingua, & de ejus Scriptorum Ætatibus intrepidè possimus judicare.* Ut enim suæ sunt homini; ita etiam Artibus, ita Linguis, Periodi & Ætates, ortûs, incrementa, decrementa; quin & excrementa. *Deprehendimus verò in homine infantiam, adolescentiam, ætatem virilem, ætatem descrescentem, & deniq; senium; ita linguam etiam Latinam eosdem suscipere gradûs, mutationes easdem, videbimus.*

Infantiam autem linguæ Latinæ velle indagare, velin Auctorem inqui-

rere

vere omnium primum, est, ut Græci loquuntur, κλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα, glomerare inglomerabilia, vel rete inflare h. e. operosè nihil agere. *Artium plerarumq́ initia ita sese habent, ut persentiscere ea nequeamus*: & rerum aliàs omnium principia parva sunt, *ut docet Cicero. Hoc nobis ex eodem innotuit, quòd sermo Latinus diu finibus perquam exiguis fuerit contentus. Omni autem animi contentione Romani allaborabant, ut ipsius pomœria ampliarent. Quamobrem ne Græcis quidem unquam, nisi Latinè, responsa dabant, & eosdem non in urbe tantùm Româ, sed in Græciâ etiam & Asiâ per Interpretem hoc modo loqui cogebant: quô Latinæ vocis* HONOS *per omnes gentes venerabilior diffunderetur.*

ADOLESCENTIAM *sibi vindicant Poëtæ, quos habemus, omnium antiquissimi*, Accius, Pacuvius, Ennius, Furius, Cæcilius, Publius Syrus, Lucilius: *quorum monumenta supersunt paucissima. Referimus hosce ad Adolescentiam, idq́ non abs ratione. Quem-*

ad-

admodùm enim in Adolescentibus multa est luxuria, abundant multa, mores & affectus nondum sunt sedati & compositi; sed paulò se effundunt liberiùs, nonnunquam asperiùs: ita istius Scriptores ordinis stylo utebantur indomito, nec usq; adeò æquabili; quod ipsorum fragmenta pensiculanti facilè persuadebimus. Editus ante annos propè centum Romæ Dialogus de obsoleto & antiquato dicendi genere; unde omnes ipsorum peti possunt deliciæ. Nobis paucula isthæc adduxisse sufficiat: Tuas in adoreas simitu omnes coturnatim conspiranter, affectanter, centuriatim grumatimque adsurgere deberent, ipsus ego pol id spontaliter cupienterq; præclariter factitarem, si Apuleii multiloquentiæ lineamentationem levigatiusq; veriverbium saturantius, ac non nepa lyra concallerem. Illeam, inquam, suaviloquentiam facundiosam, & Oratorium melos, quo ipsum Asinum, cognomento aureum, auratiorem auro fastigavit. Est quippen ejus tanta alti-

lo-

loquentia, ut præ hujus necnon vatracem Arpinatam polylogum, blacteratorem lingulacam immoderatam suam Eloquentiam pro rostris dixě credam.

Sed insanivimus satis. Insaniet autem magis, qui, inventâ jam fruge, glandibus vesci voluerit: quem cum Persio *interrogabimus:*

-- -- unde hæc sartago loquendi venerit in linguas? unde istud dedecus? *& ex* Agellio: Tu autem perinde, quasi cum matre Evandri nunc loqu re, sermone ab h nc multis annis dissito uteris: quod scire atq; intelligere neminem vis; quæ dicas. Nonne, homo inepte, ut, quod vis, abundè consequaris, taceres?

Maxima dicentis virtus, juxta Arist. est perspicuitas: quam qui de industriâ devitat, à januâ longissimè aberrat. Adolescentiæ, sive ætati vel ordini secundo annumerant Plautum & Terentium: qui ab ætate tamen virili, cumprimis Terenti⁹, non longè distant. De Plauto certè ipse Varro: Si Musæ, *inquit,*

inquit, voluiſſent loqui Latinè, ſermone non alio fuiſſent uſuræ, quàm Plautino. *Occurrunt quidem in lectione ejus ſalebræ; quæ tanti tamen facienda non ſunt, ut ab eo debeamus abhorrere. Satis edidit emendate Johan. Philippus Pareus, quem ſuademus evolvendum. Editor enim alius, in locis obſcurioribus, præter Lectionum variantias, nihil ſæpè affert ſolidi. Recentioris cujusdam de Plauto judicium primo labaſcit pedatu, & nimis eſſe præceps à doctioribus omnibus judicatur. Ita autem ille:* Quid eſt aliud Plautus, quàm pyxis, cujus frons præferat pharmaca; venter verò peſtiferis turgeat ſaporibus? Evolvatur totus, examinetur dictio, excutiatur argumentum: inveniet fortè rudior ætas nonnulla, quæ ei fingant os, quæ ſermonis venuſtatem promoveant; at, quod mores expoliat, quod pietatem inſtillet, quod honeſtatem excitet, verbum ibi nullum. *Et alibi*: Adoleſcentia Plauti fabulis redditur diſſolutiſſima; neq; prælegi debebat pueritiæ,

præ

piæ Terentio; à cujus virtutibus tàm longè abest, quàm susâ catulo Melitæo. *Heu! quid opus erat, isthæc conviciorum plaustra ingerere? Aliter hæc sacra non constant. Cùm enim Comœdia sit vita humanæ speculum: exprimi & honesta debent, & inhonesta; cùm singulis ferè momentis ab hominibus ea perpetrentur: & quò quis ea proponit evidentiùs, eò laudem reportat majorem.*

Terentium commendârunt Cicero, Ludovicus Vives, Melanchthon, alii. Notanter Erasmus: Inter Latinos quis Latinior loquendi Auctor, quàm Terentius; purus, tersus, & cotidiano sermoni proximus, tum ipso quoque argumenti genere jucundus adolescentiæ. *Et signatè Sadoletus*: Terentius, ceu sedatus amnis, quemadmodum fluat purè & leniter nihil secum turbidum neque fecatum deferens, utque se accommodet ad omnia, quę incidunt, aptè, scitè eleganterq; & narranda & respondenda, quis legens non cum quâdam animi dele-

delectatione miretur? in quo mihi videtur habitare ipsa Modestia. Sic enim cavet ab obscœno spurcoq; ut interdum, quid quamq; deceat personam, parùm attendere videatur.

Sed ex Ephebis jam excedamus, cùm ad ætatem attingamus Virilem. Heic familiam ducit Cicero, *quem extra omnem ingenii aleam esse positum, dixit Plinius: quem ipsi non potuere Græci satis demirari; cum solis sibi hactenus relictam dicendi gloriam, per ipsum ad Romanos delatam viderent.*

Nunquam cum linguâ Latinâ actum fuit meliùs, quàm eo seculo: quo & accurata informandæ juventutis ratio habebatur, & præmia eruditis amplissima constituebantur: tùm illibatus manebat honor Latinitatis, repudiatâ merce peregrinâ & reconditorum verborum, ut Augustus loquebatur fœtoribus.

Non multùm ab hujus laude abest C. Jul. Cæsar, cujus de rebus militaribus nobis supersunt Commentarii; cui ipse Cicero hoc concedit gloriæ, quòd non videat;

deat, cui Cæsar edere debeat: qui elegantem, splendidam quoq; & magnificam ac generosam dicendi rationem teneat.

Ad eandem pertinent ætatem Crisp: Sallustius, cujus inimitabilis plane vis brevitatis florentissima, & elegantia sermonis, si paucula excipias obsoleta, novata paucula, venustissima: T. Livius Patavinus cui lacteam tribuit ubertatem, miram jucunditatem, clarissimumq; candorem Quintilianus: L. Iunius Moderatus Columella, qui de Agricultura scripsit tersissime. Hæc de florido Latinitatis vigore, à quo paulatim posteri declinabant.

Quarta verò ætatis Scriptores etsi barbari non sunt; nec sordidi tamen ad illum superiorum Auctorum nitorem non accedunt. Sunt autem potissimùm Quintilianus, quo de Martialis:

Quintiliane vagæ moderator summe juventæ.
Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ.

Hic ipse Quintilianus: Dicendi, *inquit,*

quit, mutavimus genus, & ultrà nobis, quàm oportebat, indulsimus. Quid multa? totus propè mutatus est sermo. *Seneca, qui ingenuè*: ut positis, *ait*, æstimare, quantum cotidiè ingenia decrescant, & nescio quâ iniquitate & ad malum pronitate Naturæ Eloquentia se retro tulerit. Quicquid habet Romana facundia, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut proferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt. In deterius res cotidiè est data, ut ad summum perducta rursus ad infimum, velociùs quidem, quàm adscenderat, relabatur. *Valer. Maximus, qui dicta ac facta memorabilia libris comprehendit IX. dedicatis Tiberio, penes quem, hominum Deorumq; consensu, maris ac terræ regimen esse voluisse gloriatur. Suetonius, qui XII. descripsit vitam Imperatorum primorum. Plinius secundus Veronensis, qui libris 37. opus naturalis historiæ complexus est, tàm varium, quàm ipsa est*

re-

rerum Natura, quam tractat: suffocatus tandem fumo ex Vesuvio monte, ignibus perpetuis celebri, cùm ad ejus incendii causas explorandas propiùs accessisset. Hic suæ petit barbariei veniam, cùm libros suos adspersos dicit esse plurimarum rerum aut rusticis vocabulis, aut externis, imò barbaris, non sine honoris præfatione ponendis. Agellius, cujus verba sicco sunt pede non prætereunda: Animadvertere est, pleraque verborum Latinorum ex eâ significatione, in quâ nata sunt, decessisse, vel in aliam longè, vel in proximam; eamq; decessionem factam esse consuetudine & inscitia temerè judicantium, qui, cujusmodi sint, non didicerunt. *Cornelius Tacitus, cujus de inscitiâ, magis magisq; accrescente, verba nuper recensuimus alibi. Nunc repetimus alia:* Exprime causas, cur tantum ab Eloquentiâ eorum recesserimus & in paucissimos sensûs & angustas sententias detrudatur Eloquentia, velut expulsa regno suo: ut, quæ olim omnium Artium, ut dicunt,

cunt, pulcerrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa & amputata, sine apparatu, sine honore, pene dixerim, sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artibus discatur? *Cornelius Celsus Medicus, Trogus, Florus, Justinus Solinus, Curtius, Ulpianus, Justinianus, qui primò Codicem componi mandavit; deinde, quas opus nominat desperatum, Pandectas, ex immensis veteris prudentiæ voluminibus collectas; tandemq; libros Institutionum IV. in quibus Tribonianus, vir Magnificus, Magister, & Exquæstor, ac Exconsul; nec non Theophilus, & Dorotheus desudarunt elaborandis. Apuleius, Philosophus Platonicus, qui se ipsum rudem appellat locutorem: Martianus Capella, alii, Tertullianus, Lactantius, Arnobius, Minutius, Hieronymus, Augustinus, Prudentius, Symmachus, Boëthius, Ausonius, Sidonius, qui de suo seculo isthæc:* Virtutes artium istarum seculis potiùs priscis seculorum Rector ingenuit: quæ per ætatem mundi jam senescentis, las-

ſatis veluti ſeminibus, emedulla
parùm aliquid hoc tempore atque
in paucis mirandum ac mirabile
ſtentant. Increbuit multitudo d
dioſorum, ut, niſi vel paucisſimi, n
tam Latialis linguæ proprietatem
trivialium barbariſsimorum rubi
ne vindicaveritis, eam brevi abo
tam defleamus. *Acerbior Fulge*
lamentatio: Noſtri temporis æ
mnoſa miſeria non dicendi petit ſ
dium: ſed vivendi flet ergaſtulu
nec famæ aſsiſtendum Poëticæ: ſ
fami conſulendum domeſticæ. *H*
Patres pertinent Latini omnes.

Labitur autem ætas, & tacito p
ſenium approperat. In quod inci
runt Doctores Scholaſtici: Alber
Magnus Ratisbonenſis, Thomas
quinas Alberti Auditor, Ioh. Duns S
tus, quem Scaliger limam veritatis
digetat, Alanus Monachus Scoti c
taneus, Bonaventura, Petrus Hiſpan
Gabriel Biel, Holcot Briccot, Ma
matrectus Maſfretus, & quæ alia ip
rum nomina ſunt, ipſo penè tremen
ſon

sono: qui cùm adyta Philosophiæ probè penetrâssent, eam Theologiæ adjunxerunt; idq; nonnunquam non sine ineptiis. Stylo autem gaudebant impuro & tantùm non barbaro: quem si tecum rumines, vix absq; nauseâ remittes. Notabile Erasmi de hoc hominum genere testimonium: Si quis veteres illos Theologos, Origenem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum, cum hisce recentioribus componat conferatq;: videbit, illic aureum quoddam ire flumen; heic tenues quosdam rivulos, eosq; nec puros admodum, nec suo fonti respondentes: illic velut in felicissimis hortis affatim tùm oblectaberis, tùm explebêris; dum heic inter spineta sterilia dilaceraris & torqueris: illic majestatis plena omnia; heic adeò nihil splendidum, ut pleraq; sordida, parumq; digna dignitate Theologicâ (Comp. Theol. p. 34.) *Quisquilias in doctrinâ nos jam non curamus: sed vocabula tantùm aliqua considerabimus. Quid Bielis* recidivare, *pro, in priora*

relabi peccata? Quid præmiare, *præmium conferre*: *ejusdem* præconsiliatum, *pro*, *deliberatum?* *quid* tantò quòd, *pro adeò, ut?* *quid*: *nec quicquam obviat illud Augustini, pro, obstat?* Quid *Thomæ Aquinatis vigorari pro, fieri vegetius?* Quid *Sententionariorum illud*: hoc vilificat, non dignificat Naturam, *pro*, *Naturam non decet cùm quandam ei vilitatem conciliet?* *Defluxit hæc primùm impuritas in urbem Romam. Cùm enim barbari undiq; in eam irruerent; cum ipsis hæc simul sentina in urbem, puritatis amantissimam, fuit derivata. Arrisit hispidus ille & verrucosus dicendi modus istis hominibus, qui nihil esse magis alienum ab instituto Philosophi cogitabant, quàm quod luxū aut fastum, aliquâ ex parte, sapit. Sicionios calceos habiles aptosq; ad pedem dicebat Socrates; sed Socrati non convenire: sic illi Eloquentiam Oratorem quàm maximè decere fatebantur, suis verò disputationibus fructum conferre vel nullum, vel certè exiguum arbitrabantur; & Philosophum*

phum verbis uti tantum dicebant ad necessitatem, quibus homo civilis etiam uteretur ad gratiam; quam & hic, si neglexerit, non civilis, & ille, si affectaverit, non sit Philosophus. Qui si sua sensa adspectu aut demum minore, quàm sermonis operâ posset explicare, omnino non loqueretur: tantum abest, ut linguam poliat & exornet, Quod vel ob id etiam ajunt cavendum, ne illectus cute medicatâ lector, demoretur ad eam; ad medullam & sanguinem non pervadat, Johan: Picus Mirandula ad Hermol. Barbarum. *Sed aliud est stylus humilis, aliud barbarus. Ambabus largimur manibus, quod scribit Scaliger Exerc.* 1. Non versamur in foro, aut in Romano Concilio; sed in communi theatro sapientum sub oculis veritatis. *Oratorum delinimenta nemo unquam à Philosopho petiit; sed linguam tamen solœcismis, &, si possit, novitatibus carentem. Dico: si possit. Non enim cum illis facio, qui omnia Philosophorum vocabula technica in ultimas jubent terras deportari. Est quidem, inquit* Dreſſe-

 rus,

rus, *eloquendi artificium commune omnibus disciplinis; nec ulla ars reperitur, quam non oratione bonâ, purâ, perspicuâ, ornatâ, & decorâ explicare conveniat: tamen sua cujusq; professionis propria quædam verba sunt, quæ τεχνικὰ ob id appellantur; tum phrases etiam dissimiles, & diversæ compositionis formæ.*

Hæc lingua elegantissimæ senectus, imò mors ipsa. Quam quemadmodum sequitur resurrectio: sic ante annos propè trecentos emersêre, qui nativam linguæ Latinæ faciem ex situ, squalore, & pulvere eruerent, & sordes expurgarent. Vasti hujus maris glaciem fregit Dantes Altigerius Florentinus, Francisci Petrarchæ Præceptor, *qui sub annum Christi CIↃ CCC XX barbariem expugnare, & sermonem ad elegantiam revocare ausus fuit. Sedulus ille & unicus Augiæ stabulum deplere non poterat. Multum igitur sordium remanebat: quod discipulus Petrarcha, & Bocatius ejicere laborabant. Hos sequebatur Laurentius Val-*

la,

la, homo judicii acerrimi, & lectionis propè infinitæ: cujus tamen fama longè futura major fuisset, si à nimio contradicendi & conviciandi studio sibi voluisset temperare. Sed ut omnes habent alaudæ cristas: ita litterati omnes magnum sæpè in corpore parvo nævum. Parvula tamen isthæc labecula nos tantoperè non commovebit, ut ab lectione VI. Elegantiarum librorum tanti viri recedamus. His accessit Baptista Mantuanus, qui, quamvis Carmelitarum esset ordini adstrictus; Pontificum tamen notare vitia acri & non ineleganti stylo non erubescebat. Angelus Politianus, quo de Lipsius: Quòd nec dum ullas viderit Epistolas, quas iterum velit legere; præter unas Politiani. *Lector faciat periculum in Epistolâ saltim primâ; satisfactum sibi abundè profitebitur. Ab hujus virtutibus non longè recedit Hermolaus Barbarus, homo minimè barbarus: Johannes Picus Mirandulanus, Rudolp. Agricola, Cunradus Celtes Svinfurtensis, decus Francorum immortale; qui ab ipsâ Impera-*

toris manu, Germanorum primus. Laurcam accepit Poëticam; Thomas Linacer, Jac: Sadoletus, Christoph: Longolius, Petrus Bembus, Des. Erasm: Roterodamus, quem Franc: Floridus Sabinus, non obesænaris Criticus, summum vocare virum non dubitavit. His accensendi Philip: Melanchthon. cujus in dicendo & suavitatem & æqualitatem multi non infimæ caveæ homines vehementer fuêre demirati. Joach. Camerarius, Muretus, Sigonius, Sturmius, Melch. Junius, Paulus Manutius, quo ad genuinam Ciceronis venustatem nemo accessit propiùs. Scaligeri, genere Principes, ingenio Dii. Casaubonus, cui soli nihil propè nescire datum fuit: Dan. Heinsius, viva & obambulans bibliotheca. Gruterus, Dousa, Lipsius, Sapientiæ & Litterarum Antistites, Valens Acidalius, Caselius, Baudius, Vossius, Meursius, alii: quorum nomina velle recensere esset conebas velle omnes legere marinas, flores velle omnes decerpere vernantes. Nihil enim admiratione magis videtur dignum, nihil portentosum magis; quàm nostrâ hac tempesta-

pestate tantam Eruditorum succrevisse, & succrescere etiamnum segetem; præ quâ Romanorum copiam ludum jocumq; dixeris. Hac, inquam, tempestate, quâ litteris velle operam navare, nihil est aliud, quam voluntariam amplecti paupertatem, opes cum Cratete in mare projicere, & in dolium se recondere Diogenis, ubi quamdiu velis, ferias celebres esuriales, & loculos araneis concedas incolendos.

Quemadmodum autem Judæi ad operis sui Thalmudici lectionem ante annum ætatis XL. admittebant neminem: ita ad quorundam recentiorum istorum penetrationem, ante aliquam judicii maturitatem, accedere multos haud posse, existimandum est. Ipse Lipsius, cui tanta erat verborum copia, ut nulli hominum supplicare cogeretur, Eloquentiam suam dicit inimitabilem, & ne tentandam quidem. Isthmum igitur perfodere laborant, qui Lipsianum se stylum effecturos confidunt. Quanquam & ipse aliquando nimium sua tribuisse Eloquentiæ, & ex illâ confiden-

fidentiâ paululùm cespitâsse judicetur. Vide re hoc licet apud Henr. Stephani, palæstra & Lipsi Latinitate primâ. Tutissimè legitur Manutius; nec absq; utilitate haud pœnitenda Baudius: cujus elogium malo Præceptoris quàm meis exprimere verbis: Nullum omninò dubium eſt, ex Baudii Epiſtolarum lectione Studioſos Adoleſcentes, politioribus litteris deditos, juvari plurimùm poſſe, ſive genus dicendi Latinum copioſum ac floridum, ſive res ipſas, mirâ venuſtate pariter ac varietate ubique occurſantes, inſpicias. *Iohan. Friderichus Præfat. Baudii Epistolarum. Homini Politico Elzviri proderunt Epistolæ historicò politicæ, quas idem invulgavit Friderichus. E scholis & pluteis Litteratorum omnibus, per caput pedésq; præcipitari debet quidam Numerarius, quem tantoperè suum scribendi cacoëthes vexavit, ut nîl nisi quisquilias & viliora illis emiserit, quæ pueri in faba reperisse clamitant. Haud multò melior quispiam alius, qui infelicis ejaculatus sagittas, scopum ferire nunquam potuit. Ad ejus enim Epistolas intelligendas necessum est Elucidarium tecum habeas Poëticum. Sed quid nos de talibus? Iudicent, quibus limatius est judicium. Nos ultra crepidam non progrediemur.*

FINIS LIBRI II.

Apparatus Philologici.

MANTISSA

Lib. I.

Apparatus Philologici,

exhibens

quædam

J. LIPSI,

nunc nuper ex situ eruta tenebrisq;

M. JOHANNIS MICHAELIS, DILHERRI Hennebergici, P. P. & P.



Fratrum Bigæ,

Juvenum Nobilium Doctissimæ,
& Doctorum Nobilissimæ;

HENINGO & ACHATIO
Gotschalkowsky de Gottschalkowitz/
Amicis suavissimis.

TU Generosorum fratrum nitidissima biga,
non tibi Nobilitas *sunt atria plena vetustis*
Patris imaginibus, vel avorum cera tuorum,
quicquid & ostentant, qui Nobilitate *superbi*
Nobilitatis *opes numerant, alienaq; facta:*
etsi Majores meritò jactare valeres.
Doctrina placuit tibi splendor, & aurea virtus:
unde Beni quicunq; suo dignantur amore.
Ipse levi charta, quam Lipsiis obtulit, imis
erutus è tenebris, tibi defero pectus amicum,
hortor & ut solitam pergas decurrere metam.

M. Johannes Michael
Dilherr P.P.

Studiosæ Juventuti.

INstituenti mihi nuperè, universam Historiam Romanam, Bella, Triumphos, Magistratus, Leges, & quicquid cognitione dignum est, publicè tradere: necessarium inprimis visum fuit, quasi fundamenta quædam huic doctrinæ substernere, quæ ad Historias viam ita muniant, ut qui in iis imbutus non sit, versari in Antiquitate nemo possit.

In duobus autem hic labor noster consumetur.

Primò de Nominibus Romanorum, Familiis & Cognominibus pauca dicam.

Secundò Notas *aliquot, quibus Antiqui brevitatis causa in scribendo usi sunt, quæ & in Fastis Capito-*

pitolinis & Veterum Monumentis passim exstant, brevi interpretatione explicabo. In quo dabo operam, ut neq; brevitatis studio cuiquam obscurus, neq; dum perspicuitatem sequor, redundans videar.

Vos studium meum benivolentiâ vestrâ excitabitis, benivolentiam frequentiâ significabitis, die crastino, hora VII.

JUSTUS LIPSIUS
ISCANIUS.



Caput I.

Vide, ſis, pag. 200. lib. 1. Apparatus Philologici, & quidem ab ipſo Lipſio aliquibus, quæ Jenæ omiſerat, locupletatum.

Caput II.

DE NOTIS ROMANORUM.

NOtis Romani brevitatis cauſa utebantur, earum Interpretationem in duas partes diſtribuemus. Primo loco eas, quæ ad Rempub. Leges Magiſtratusq; pertinent; ſecundo, quæ ad privata, complectemur.



DE



I.

DE REPUBLICA.

R.P. Respublica.
P.R. Populus Romanus.
S.P.R.Q. Senatus populusq; Romanus.
A.P.V.C. Anno post Urbem conditam.
A.A.V.C. Anno ab Urbe condita.

Notæ de Magistratibus.

Q. Quæstor.
Q.Q. Quæstores.
D. Dominus.
D.D. Domini.
AED.P. ÆDIL.PL. Ædilis plebis.
AED. CUR. Ædilis Curalis.
TR.P. Tribunus plebis.
TR R. P. Tribani plebis.
PR. Prætor.
PRR. Prætores.
PR.U. Prætor Urbanus.
PR. PE. Prætor Peregrinus.
PR.PR. Pro-Prætore.

Cos.

COS. Consul.
COSS. Consules.
COS. DES. Consul designatus.
CES. i. e. Censor, interdum CENS. scribunt.
DICT. Dictator.
DICT. R. G. C. Dictator rei gerendæ causa.
DICT. COM. HAB. C. Dictator Comitiorum habendorum causa.
LAT. FER. C. Latinarum Feriarum causa.
S. S. C. Seditionis sedandæ causa.
R. P. C. C. Reipublicæ constituendæ causa.
CLAVI. FIG. C. Clavi figendi causa.
MAG. EQ. Magister Equitum. Habebat enim Dictator semper adjunctum Magistrum Equitum.

De Notis officiorum.

IM. Imperator. Merck. Fris.
PONT. M. Pontifex Maximus.
P. P. Pater patriæ.
Deinde apud Jurisconsultos P. P. significat præfectum Prætorium.

TR.

TR. POT. Tribunitia potestate.
LEG. Legatus, vel legio.
PRÆF. Præfectus.
PRÆF. COH. Præfectus cohortis.
PRÆF. UR. Præfectus urbis.
PRÆF. TUR. Præfectus turmæ.
Inter Nomina Officiorum sunt & ista: CUR. R. P. Curator Reipublicæ.
III. VIR. R. C. Triumvir Reipublicæ constituendæ.
III. VIR A. A. A. F. F. Triumvir, auro, argento, ære flando, ferundo.
II. VIR. Duumvir.
VI. VIR. Sexvir.
AUG. Augustalis.
VI. VIR. AUG. Sexvir Augustalis.
X. VIRI LIT. JUD. Decemviri litibus judicandis.
LIT. Litibus.
EQ. R. Eques Romanus.
EQ. P. Eques publicus.
L. Libertus, cum postponitur.
LL. Liberti.
COAC. ABD. coactus abdicavit.
I. E. L. F. E. in ejus locum factus est.

Q. I. H. H. M. E. Qui in hoc honore mortuus est. Cum aliquis in Magistratu diem obiisset, addebant has notas.

A. E. appellatus est.

I. M. M. E. in Magistratu mortuus est.

SUF. E. suffectus est.

Ad Censores pertinet sequens.

L. F. lustrum fecit.

De SC.tis & Legibus.

S. C. Senatus Consultum.

D. S. S. de Senatus sententia.

V. F. Verba fecit.

Q. D. E. R. F. P. quid de ea re fieri placeret.

D. E. R. I. C. de ea re ita censuerunt.

S. Q. C. F. Senatusq; consultum facerent.

Ad Leges Romanas.

Ista erat clausula omnium Legum Romanarum, S. Q. R. E. Q. R. I. N. S. E. H. L. N. R. E. si quod rogatum est, quod rogari jus non sit ejus hac lege nihilum rogatum est.

Q.I.S.S. quæ infra ſcripta ſunt.

Q.S.S.S. quæ ſupra ſcripta ſunt.

II. DE NOTIS PRIVATIS.

J.O.M.S. Jovi Optimo Maximo ſacrum.

D.M.S. DIs Manibus ſacrum.

H.M.P. hoc monumentum poſcuit.

D.S.P.D.D. de ſua pecunia dedicavit.

D.S.P.F. de ſua pecunia fecit.

V.S.L.M. votum ſolvit libens meritò.

T.P.J. teſtamento poni juſsit.

E.T.F.C. ex teſtamento faciendum curavit.

B.M.S. Bene merenti ſcripſit.

H.M.D.M.A. huic monumento dolus malus abeſt.

S.T.T.L. in fine lapidis ferè invenitur. Significat: Sit tibi terra levis. Ethnica & gentilis nota, quâ precabantur ſepultis, ut terra eis eſſet levis.

IN.

IN.FR.P.X. In fronte pedes decem.

IN. A. P. IX. in agro pedes novem Mille pedes in fronte, inquit Horatius, respiciens ad has ipsas notas.

P. pedes vel pondo significat.

V.A.X.M.V.D.V.H.III. vixit annos decem, menses quinq; dies quinque, horas tres.

A. P. O. R. anno post orbem redemtum.

XBER. December.

VTILIS. Quintilis.

VITILIS. Sextilis.

IIXBER. October.

IX. BER. November.

H.M.H.N.S. hoc monumentum heredes non sequetur.

H.F.C. heres faciundum curavit.

H.S.E. hic situs est.

Observatio ex lectione P. Victorii.

Si judicatum erit, NON LIQUERE, observandum, Judices Romanos, cum sententiam laturi erant: aut

aut voce palam pronunciasse, aut per tabellam. Si per tabellam; tùm tres diversas tabellas accipiebant, unam A. Litterâ notatam; alteram K. litterâ, seu, ut quidam volunt, C; Tertiam N. quarum prima Absolutionem significabat; Secunda Condemnationem, tertia Ampliationem. Notabantur autem his litteris, quia illæ primæ erant & capitales, verborum eorum, quæ pronunciabant; videlicet: ABSOLVO. CONDEMNO. NON LIQVET. Quod postremum valet: non constat; non clara res est. • Et cum numerus major Judicum NON LIQVERE pronunciasset, tum amplius quærendum dicebant, & judicium ampliabatur i. e. differebatur sententia suspensa. De his Notis intelligendus Cicero pro Milone: *Quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur; cùm videret nos fateri, neq; quæri umquam jussisset, nec vobis tàm salutarem hanc in judicando litteram, quam illam tristem dedisset.* Salutarem litteram

dicit

dicit A. notam abſolvendi; triſtem K.i.e. condemnandi.

Exemplum ad Imitationem Ciceronis, à Juſto Lipſio Jenæ propoſitum.

1. Epiſt. ad Att. l. 1.

De lite illa mea, quam tibi curæ eſſe ſcio, quoniam conjectura providere poſſum, ſcribam ad te ingenuè, & more Majorum. Cauſam, non difficile eſſet mihi, obtinere, niſi in illis partibus inops eſſem ab Amicis. Itaque maximè rationibus conducere videtur, aliquem ex iſtis gratioſis hominibus conciliare, qui mihi contra potentem adverſarium adſit. Quod facilè per te aſſequi poſſum, quoniam tu propiùs ab illis regionibus abes, & in iſta aula regnum, quodammodo obtines. Ego, quicquid in rem tuam erit, viciſsim prolixè & libenter præſtabo. V.

Aliud ſequentis.

Etſi adventus tui fama quotidie incre-

increbescit : tamen his litteris putavi breviter ad te scribendam informatam rerum mearum rationem. Te in lite mea non adhibuisse diligentiam, quam voluisses, quod forum jam à judicis refrixerit molestia, moleste tuli : at spero tamen, omnia fore prolixa adjuncto Patrono illo, in quo uno causa nostra nititur. Statius rogandus erit, ne contra rem & existimationem amicorum veterum veniat : qui nescio quibus de suspicionibus ab instituta nostra consuetudine refugit. Si me restituere in veterem ejus gratiam potes, mirandum in modum lætabor; sin aliter acciderit, & si animo adeo abalienato est, humaniter feremus. De libris, quos mihi curasti, multum te amo. In quibus emendis ostendisti, te neque à judicio inopem esse, neq; à nummis. Brevior sum, quod jam teipsum ineunte mense exspecto, & certè Advocatus tuus maturus, præter quod nobis gratus erit, & rationibus tuis plurimum conducet, V.

Ami-



Amicitiæ S.

Amplißs. & C. V. Andreæ Dammio, Justitię & Juris consulto: cum ei titulus Doctoris decerneretur: Benivolentiæ & memoriæ perpetuæ ergò.

Hoc Mon. & pignus L. M. Q. P. A. Orbis R. cIↃ IↃ LXXIII. A.D. III. K. Feb.

J. Lipsius Iscanius.

E*Tsi me variis jactatum*, Dammi, *curis,*
irritaq; expertum instabilis ludibria Divæ
avocat à cœtu tristis Fortuna; Sororum
nec dolor ad placidos patitur conscendere colles:
attamen hoc surgat carmen tibi. Callida Musa,
Calliope, Divûm atq; hominum sincera voluptas.
Seu juga te Pindi, seu te Parnassia rupes.

X Ca-

Castaliâq; tenet jucundum murmur ab undâ,
Diva fave: tibi venit honos, en vester alumnus
Dammius, *aeternis nomen memorabile chartis,*
Victor ovans spoliis & opimo laetus honore.
ingreditur, patriisq; novum decus attulit oris.

Qualis purpureo Scipio sublimis in ostro,
post debellatos Romanis viribus Afros,
Victor agit niveos celsa ad Capitolia currûs;
Patresq; plebesq; fremunt; it plausus ad astra;
illius ingenuum percurrit gloria pectus:
tale decus, talesq; refers de pace triumphos,
ô felix animi juvenis, felixq; laboris!
Nam quamquàm patrias superant tibi nomina gentis,
clara per Albiacos populos quam fama perennat:

Tu

Tu tamen antiquo generis contendis honori,
& famam accipiens, illis reddis quoque famam.
Tu primùm, ut teneris crevit tibi robur ab annis,
inclyta Palladiæ adspiras ad præmia palmæ,
& statuis magnis non magna exordia rebus.
Acrior hinc te laudis amor rapit: atria avita
linquis, & externis Virtutem quæris in oris.

Non Ithace posthac, patriæ decus Urbis, Ulyssem
jactet, in ignotis quamvis erraverit oris;
quà venit exoriens, quà Phœbi deficit ignis,
sitq; iter illius; tua dum sit gloria major.
Viderit incultos Læstrigonas ille, vel Ætnam,
Cimmeridon populos & campos luce carentum:

Te Dubis, Rhodanusq; celer, te Sequana flavis,
Te vidit gelidis in montibus Appenninus,
Hannibal infuso quâ rupes fregit aceto;
Te Tiberis pater, & viridi te Myncius umbrâ
obstupuit, Albiq; suos invidit Alumnos.
Heîc Tu, perpetuis pennis sublatus honoris,
per Phœbi Charitumq; hortos, per Dædala prata
Musarum, æternâ decerpis fronde coronam.
Non aliter molles Venetus mercator ad Indos,
aut septem gemini penitrans rapida ostia Nili,
quicquid Arabs, quicquid mittit Panchâia dives,
rettulit ad patrios spolia invidiosa Penates.
Mirantur gazam cives, Eoaq; regna:
mirantur gemmas, & squallida munera ab auro.

Mox

Mox te clivosæ ceperunt mœnia Jenæ,
quæ Romanarum infudit primordia Legum,
Justiciaq; dedit sacratum scandere collem;
unde tibi errores hominum, & ludibria vulgi
despicere, & varios fas sit componere motûs:
inflammare pios, & refrenare furentes.

Felix Justiciæ munus! date candida cives
lilia, purpureasq; rosas; date turis honores.
Te, Dea, te cumulem donis, te munere mactem.
nam tu sola potes, concussi in fluctibus orbis,
quom fas atq; nefas eôdem dignantur honore,
Lexq; pudorq; perit, tranquillâ pace juvare,
mortales: per te quoniam sua præmia justo,

& sceleri mala pœna venit: Te terror, & ultor
carcer, & horribili sequitur mors dira flagello:
Te Virtus comes, & diffuso Gloria vultu:
& sola æternam capiti das Diva coronam.
Quæ, damnosi expers Genii, tua tempora, Dammi,
ambiat, insigniq; nitens scintillet honore;
donec ad æquoreis ignotam fluctibus Arcton
lucida siderea radiabunt signa Corona.

J. Lipsius Laurentio Rhodomano, Viro doctissimo S. D.


AD me constructis tua venit Epistola verbis,
*R*odomane *Musarum decus,*
Qua testaris amorem, & honestam in pectore flammam,
Et diligentiam mei.

Re-

Respondere juvat versu atq; affectibus
iisdem:
Alternat inter nos amor.
Tu mea miraris Musa monumenta
Latina,
Atque illa laudibus vehis;
Saturnalia festa, & Romana Amphi-
theatra,
Constantiam & POLITICA:
Nos tua miramur Musa monumenta
Pelasga,
Atq; illa laudibus veho.
Quæ descripta tibi SACRÆ sub mœ-
nibus URBIS,
Sunt bella Homerico sono,
Et quæ præterea melior dictavit Apollo,
Et dictat etiamnum tibi.
Nec celo, quod sit causa illex altera a-
moris,
Salana quia te Jena habet:
Jena ipsa olim insessa mihi, cum florida
primis
Lanugo serperet malis.
Forsitan est aliquis nostri memor, &
doctorem
Fuisse prædicat sibi.

Ille ipse antiquo de stemmate, qui sua
jura
Dat fertili Thuringiæ,
Auditor mihi quondam, & glorior;
ISTA FUERUNT
Rhodomane, ET ÆTAS SIC
ABIT.
Sed maneat bona fama, & amor bonus,
ut tibi de me.
Promitto, tu de te mihi.

Lovanii XVI. Kal. Januar.
cIↃ IↃ XCIV.



Notulæ ad istas J. Lipsii schedas non rejiculas:

NOnnunquam, imò sæpiùs, hæ litteræ singulariæ, vocantur sigla vel siglæ, aut singulæ: (scilicet litteræ) quibus Veteres ταχυγραφίας ἕνεκα utebantur; ut vocem integram, elemento tantùm unico, vel syllaba etiam prima, exprimerent.

Nota autem alicubi in jure *l.* 40. *D. de*

D. de test. mil. l. 6. §. 2. D. de bon. poss. non tàm sunt litteræ singulæ, quàm certi quidam characteres, quibus vel voces vel numeri indigitantur. Inde intelligenda Justiniani *Novella* 107. qua præcipit, uncias, in quibus testator heredes scribit, non signis numerorum, sed per totas litteras esse declarandas, ut undique claræ & indubitatæ consistant. Græca Novella σύμβολα τῶν ἀριθμῶν appellat. Erat autem incredibilis per notas scribendi celeritas: quod ex Martiale nobis patescit, l. 14. n. 208.

Currant verba licet, manus est velocior illis,
nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Cui geminum est Jambicum quaternarium Ausonii, epigr. 137.

Ad notarium velocissimè excipientem.

PUer notarum præpetum,
sollers minister advola.
bipatens pugillar expedi:

cui multa fandi copia.
Punctis peracta singulis
ut una vox absolvitur;
evolvo libros uberes,
instarque densæ grandinis,
torrente lingua perstrepo.
Tibi nec aures ambigunt,
nec aucupatur pagina:
& mota parcè dextera
volat per æquor cereum.
Quum maximè nunc proloquor,
circumloquentis ambitu:
tu sensa nostri pectoris
vix dicta, jam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi
vellem dedisset mens mea:
quàm præpetis dextræ fugâ,
tu me loquentem prævenis,
quis, quæso, quis me prodidit?
quis ista jam dixit tibi,
quæ cogitabam dicere?
quæ furta corde in intimo
exercet ales dextera?
quis ordo rerum tam novus;
veniat in aures ut tuas,
quod lingua nondum absolverit?

doctri-

doctrina non hæc præstitit,
nec ulla tam velox manus
celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi
Deusque donum tradidit;
quæ loquerer, ut scires prius,
idemque velles, quod volo.

Græcis est διὰ σημείων scribere. Cicero ad Atticum: quod ad te decem legatis scripsi, parum intellexti, credo, quia διὰ σημείων scripseram. Hinc σημειογράφοι apud Plutarchum, qui velocissimè γράφειν scribere διὰ σημείων noverant, atque suis notis, *Notarii*, sunt dicti Latinis. *Elias Vinetus in Ausonium*, p. 242.

Scriptor non satis notus Althelmus: *tam notariorum characteres, quàm Grammaticorum periodos.*

Quin & *exceptores*, apud Epiphanium appellantur: *restitit Photino Sabinus, ecclesiæ tunc Ancyræ præsul, exceptoribus voces eorum conscribentibus. Frid. Tiliobroga in Valerium Probum.*

De miris hisce & occultis scribendi modis affatim *Trithemius* in Po-

lygraphia, & *Adolphus à Glauburg.* in ejusdem explicatione.

Etsi verò, ut diximus, notæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ certas quasdam figuras, aliàs non literas, significabant: tamen pro literis etiam apud *Valerium Probum* positas invenimus, cujus verba huc facientia non sunt prætereunda: *Est*, inquit ille, *circa perscribendas, vel paucioribus litteris notandas voces, studium necessarium. Quod partim pro voluntate cujusq; fit, partim usu publico & observatione communi. Nam apud Veteres, cum usus notarum nullus esset: scribendi facultatem, maximè in Senatu qui aderant scribendo, ut celeriter comprehenderent, quædam verba atq; nomina, ex communi consensu, primis litteris notabant. Et singula quid significarent, in promtu erat. Quod in Nominibus, Prænominibus, Legibus Publicis, Pontificumq; Monumentis, Jurisq; Civilis libris etiamnunc manet. Ad quas notas publicas accessit & studiosorum voluntas, ut unusquisq; familiares sibi notas pro voluntate signaret. Quas com-*

comprehendere, infinitum esset. Publicè sanè tenenda sunt: quæ in monumentis plurimis, & historiarum libris sacrisque publicis reponuntur, ut:

P.	Publius.
C.	Cajus.
M.	Marcus.
CN.	Cneus.
Q.	Quintus.
MAR.	Martius.
TI.	Tiberius.
CL.	Claudius.
T.	Titus.
SP.	Spurius.
SEX.	Sextus.
SER.	Servius.
OP.	Opiter &c.

Rectè scribit Lipsius, *notas quoque privatas fuisse:* quod non de monumentis tantum est accipiendum privatis, sed rebus etiam longè pluribus. Certè legimus, apud nonnullos in conviviis etiam, & maximè prandiis, hanc obtinuisse consuetudinem, ut, *sive Neptunum daret equum,*

quius, sive Venerem, sive Cererem, sive quid aliud missus, per singulas litteras, scientibus servis, inferri juberentur. Quod ita capito: Ostensa littera A, volebat, ut portarentur, anser, aper, anas &c. B. botrus; C. capparis, capus; F. fasianus, ficus; G. gallina, gobio; P. perdix, pavo, porcellus, & quæ in eam, & similes litteras, genera edulium caderent.

Jurisconsultis frequentantur hæ sigla.

AN.P.M.	Annorum plus minus.
A.A.	Aes alienum.
AСT. T.	Auctoritas tua.
ACC.	Accepta.
ACC9.	Accusatio.
ANN.	Annonæ.
B. P.	Bonorum possessio.
B.R.	Bonorum raptor.
C.C.	Causa cognita.
C.D.	Communi dividundo.

C.T.

C.T.	Celſitudo tua.
C.MO.F.	Clariſsimæ memoriæ fuit.
C.D.E.R.N.E.	Cujus de ea re nunciatio eſt.
C.Q.S.S.E.	Cauſa, quæ ſupra ſcripta eſt.
DMTI.	Diminutio.
DQA.	De qualicunque cauſa agis.
DT.	Dantur.
D.	Dixit.
D.S.A.	Diverſæ ſcholæ auctores.
D.O.	Dare oportet.
EXC.	Exceptio.
EX.	Eximo.
EXMO.	Exiſtimo.
EXO.	Exiſtimatio.
EM. VR.	Eminenti viro.
F.D.	Fundum, vel fidejuſſor.
F. HC.	Familiæ herciſcundæ.
G.T.	Gravitas tua.

GN.

GN.	Genus.
GRA.	Gratia.
H.D.	His diebus.
H.	Heres.
H.I.	Heres inſtitutus.
I.D.	Juriſdictio.
I. P.	Jus prætorium.
I. I.	Jus jurandum.
I. I.	In jure.
I. C.	Jus civile.
I. S.	Judicatum ſolvi.
I. IR.	In integrum.
I. I. C.	In jure ceſſit.
I. G.	Jus gentium.
K.	Caput, vel calumnia.
KR. T.	Caritas tua.
KME.	Cariſsime.
L.	Lex.
LD.	Ludus.
LBT.	Libertas.
MM.	Matrimonium.
MF.	Manifeſtum.
MAG.	Magiſtratus.
M. D.	Manu divina.

N.V.

N.V	Non vi.
N. C.	Non clam.
NEGT.	Negotiatores.
O.	Oportet, vel opera.
OPP.	Oppreſſus.
OLPD.	Olympiadis.
PCA.	Pecunia.
PVP.	Pupillus.
P. PR.	Pro parte.
PC.	Procurator.
q. m.	Quo minus.
R p.	Reſpondit.
℞ pm.	Reſponſum.
R. V.	Re uxoria.
R. D.	Rectè date.
S A.	Salus.
STPN.	Stipulationem.
S. T. A.	Sine tutoris auctoritate.
S. S. M.	Satis ſecundum mancipium.
TMP.	Tempore.

Tunc

Tc.	Tunc.
VDL.	Videlicet.
VT.	Utilis.

Primam omnium, *inquit Panciro-lus*, Catonis Uticensis orationem, Cicerone Cos. signa quædam demonstrante, notis quibusdam exceptam fuisse, Plutarchus scribit, quo tempore Tyro, Ciceronis libertus, quasdam litteras invenit, quæ præpositiones denotabant, ut Isidorus autumat. Post eum Mecænas alias litterarum notas ad celeriter scribendum excogitavit, & per Aquilam libertum, (alii Persanium & Philargium addunt) publicavit. Quædam verò post has inventæ sunt, quibus veteres juris libri, compendiosa ratione scriberentur. Quas, quòd à callidi ingenii hominibus non pauci deciperentur, novi imperatores, ut Justinianus, è codicibus legum abolendas sanxerunt, *Lib.2. Thesauri variarum lection. c.30.*

Tradit Isidorus, per A. pueritiam signi-

significari solitam, per T. superstitem militem, per Θ. defunctum.

Julius verò Cæsar, non citatum hoc, sed obscurum aliquod scribendi genus amavit, & quartam literam sequentem pro antecedente posuit Augustus B. pro A. & C. pro B. scripsit, ut Dio refert. Utriusq; dabimus exemplũ: Fudx dg yh zhqmdq, id est, cras ad te veniam. Vx sft uxb: bhf, id est, tu res tuas age. *Modi variusculi barum Scriptionum, occurrunt in Steganographia CL. Schuventeri.*

Quoad Epistolas à Lipsio imitatione expressas; ex eodem constat: imitationem esse triplicem, puerilem, crescentem, virilem. De prima duo nobis proposuit. Primò, ut *formulas inprimis & communia illa contextus totius imitemur*: Secundò, ut *ductum, numeros, lineamenta & faciem Tullianæ orationis*. Et imitemur, non industriè solùm, sed penè adfectatè & cupidè; ut color quæsitus & adfectatus appareat, imò & furtum.

Inst.

Inst. Ep. c. 13. Subnectit idem: *Exercitii genus, quod olim in Germania huic rei proposui, dicere operæ pretium habeo, etsi non dictare.*

Habe igitur tibi, Lector, si quis futurus es, exercitium illud geminum, tineis & blattis ereptum: quod Jenæ, annis ab hinc ferè LX. proposuit.

Nullam Nostro cum Camœnali familia intercesſisse familiaritatem, nec, ut cum Persio loquamur, ipsum fonte labra proluisse Caballino, aut in bicipiti somniâsse Parnasso, arbitrantur multi: qui quantum errent, vel ex pauculis illis versibus conſpicient.

Quod in posteriori carmine scribit: *ista fuerunt, & ætas sic abit*: illud in venustisſimo, quod sibi ipsemet paraverat, epitaphio, ferè ad verbum repetiit:

ipse abivi. abibit hoc quoq;:
& nihil, hic orbis, quod perennet, possidet.

Hæc

Hæc & tute tecum. Mecumq; perpetuo meditare:

Quid splendor hujus orbis est? est vanitas,
Opes quid? illa vanitatum vanitas.

[VANITATUM VANITAS.

S. Pater *Augustinus* lib. de moribus Ecclesiæ cap. 21. legit: Vanitas vanitantium. *Incipit*, inquit: *Vanitas vanitantium: liber unus Salomonis, qui Ecclesiastes dicitur. Hæc verba, si attendantur, si pendantur, si discutiantur: multa inveniuntur pernecessaria illis, qui hunc mundum fugere, & refugere in Deum desiderant.*

Ipse tamen Retract.lib.1.c.7. scribit: *quod posui: vanitas vanitantium: in multis quidem codicibus legi; sed hoc Græcus non habet.*]

quid cuncta sunt, quæ possidet mundus? nihil.
Quid ergò mundum non lubentes linquimus?
cur non ad astra tutiora tendimus

vale-

valere jusso, quicquid ægros impedit?
Si patria quis diligis suavissima
jucunda rura, seu avita limina:
hîc patriam non invenis: sed hospes es,
& es viator impigris latronibus
circumdatus, noctes diesq; labilis
qui fila vitæ cogitant abrumpere.

Quid ergò mundum non lubentes linquimus?
cur non ad astra tutiora tendimus?
valere jusso, quicquid ægros impedit?

Quæris quietem fortè liberalibus,
quîs excolas mentem vacivam, litteris,
ac inter erudita tandem nomina,
nomen parâsse gloriari possies?
non hîc quies, sed turbulenti turbines,
& omnis eruditio, ceu embrio.

Quid ergò mundum non lubentes linquimus?
cur non ad astra tutiora tendimus,
valere jusso, quicquid ægros impedit?

Optas amicis cingier non subdolis,
præstare fido Jonathani Davidem,
ut una mens in duplici sit corpore,

vobis & unum velle tàm, quàm nolle sit?
non hîc fidelitatis est sacrarium,
sed fraudis est, & est doli palatium.

Quid ergo mundum non lubentes linquimus?
cur non ad astra tutiora tendimus,
valere jusso, quicquid ægros impedit?

Dicare mentem Numini desideras,
& destinare pectus intimum tui
cordis, calentis spiritu, suspiriis,
ut in solo pragustus hôc detur poli?
mox advolabunt nigricantes vultures,
promti precum scintillulas extinguere.

Quid ergò mundum non lubentes linquimus?
cur non ad astra tutiora tendimus,
valere jusso, quicquid ægros impedit?

valete curæ, quas mihi mundus creat.
salvete sancti cœlites, hei! quis choro
me congregabit ambientem lucido!
quando videbo Conditoris regiam!

Ad



Ad

Virum Clarissimum

Dn. MICHAELEM ASCANIUM â SOLN,

Exprofessorem Hungaricum, Nobiliss. Dnn. Gotschalkowsky à Gotschalkowitz / Inspectorem,

Amicum suavissimum.

Hoc calido paucas gemitu concludo pagellas,
quo consummatur noxque diesque tibi.
Ejectus patria, studio pietatis avitæ,
prælibas patrii gaudia mille poli;
gaudia, quæ post hæc tibi conferet arbiter ævi,
cùm pæna Deo cùm nova verba canes.
Interea vivamus, ut illa futura sereno
pectore sint nobis præmeditata satis.



Sylla-



SYLLABUS RERUM AC VERBORUM.

A.

Cy-

Gi-

Ortho-

FINIS.

Mendæ spissiores. P. 11. lin. 24. *dele duo puncta.* p. 13. l. 22. *terra.* l. 22. *post Lingua, adde, Latina* p. 19. l. 3. *etiamsi.* p. 22. l. 2. *quasi* p. 31. l. 12. *Afranio.* p. 34. l. 20. *Balbo.* p. 50. l. 15. *Calliopea.* p. 51. l. 4. *simplici.* p. 55. l. 19. *triumpus.* p. 67. l. 8. *post putat, lege, illi.* & *lin.* 13. *post fervit, illi.* p. 74. l. 1. περιλάχω. p. 76. l. 19. *expectatusque.* p. 87. l. 14. *mediam.* p. 94. l. 5. *Lucil.* p. 105. l. 3. *Messallu.* l. 5. *Numantianum.* p. 100. l. 10. 16. 20. *Opportunus.* p. 111. l. 7. *Opperior* p. 116. l. 22. *adde post osculor; Curtius.* p. 121. l. 9. *paulum.* p. 146. l. 9. *sollicitus.* l. 21. *sollenne.* l. 23. *sollenne.* p. 131. l. 1. *Etruria.* p. 153. l. 22. *Prisciano.* p. 176. l. 11. *terrarum.* p. 178. l. 10. *sse increbresco.* p. 183. l. 20. *dele: Naviter epist. 25. ad famil.* p. 198. l. 14. *Tagit.* p. 225. l. 25. *quate.* p. 238. l. 2. *Membri.* p. 240. l. 14. Σπουδαίως. l. 21. *sententiam.* p. 250. l. 8. *quate.* p. 254. l. 15. *velimus.* p. 278. l. 21. *sententia.* *Subdistinctio.* p. 306. l. 1. *dele: periodus.* p. 310. l. 7. *suggestorem.* l. 8. *proba.* p. 333. l. 16. *Vita.* p. 337. l. 23. *alemus* p. 343. l. 1. *Philologiam.* p. 347. l. 21. *primus.* p. 355. l. 17. *sipario.* p. 362. l. 9. *Numa* p. 386. l. 4. *vix.* p. 392. l. 17. *Manutio. Robortello.* p. 409. l. 8. *Mul. medicinam.* l. 9. *comparatam.* p. 411. l. 13. *post Poëtarum, adde: Patrum.* l. 17. *prodigiosè.* l. 23. *Tunnunensis.* p. 413. l. 1. *tenuiter.* l. 10. *post Ardens, adde: Fulbertus, Lupus Ferrariensis.* l. 17. *Anglicarum.* l. 21. *Goldastus.* p. 420. l. 5. *esto.* p. 422. l. 21. *obambularent.* p. 423. l. 18. *Epigrammation.* p. 424. l. 18. *constituunt.* p. 426. l. 10. *convocabat.* p. 430. l. 21. *ara.* p. 431. l. 15. *amaracino.* p. 436. l. 21. *pro: acerritum copia verbordumque: lege: ceritum, tardum pardumque.* p. 439. l. 6. *lege: judiciorum cos.* &c.